SELECTIORES EPISTOLAE

Clarorum virorum,

In vsum Scholarum in tres Libros digestæ,


OPERA

Simonis Verrepæi.

Epistolarum Auctores indicat versa pagina.

His accessit

Breuissima de Epistolis Latinè conscribendis isagoge, eodem auctore.



DILINGÆ

Excudebat Sebaldus Mayer.

M. D. LXXIII.

Epiſtolarum Auctores.

Petrus Bembus Venetus. S. R. E. *Cardinalis*
Obijt Romæ Anno 1547.
Iacobus Sadoletus Mutinenſ. R. S. E. *Cardinalis Obijt Romæ Anno* 1547.
Chriſtophorus Longolius, Melchinianus
Obijt Patauij Anno 1522.
Paulus Manutius Venetus, Aldi filius
Venetijs adhuc in viuis agit.

Simon Verrepæus liberali indole & eximia spe Adolescentibus & Pueris, Francisco, Ioanni, Lucæ, Gasparo, Melchiori, & Balthasaro Belleris, integerrimi viri Ioannis Belleri Bibliopolæ Antuerpiani FF. liberalium artium studiosis. S. P. D.



INter omnia adolescentiæ studia, nullũ est aliud, quod ipsam perinde decoret, exordinet atque illustret, atque studium politiorum litterarum, vt quod ad omnium liberalium artium cognitionem, solidamque ac veram eruditionem aperiat ac seruat viam; Ipsa verò eruditio, eum ipsum qui se possidet multifariam honestat, & adiuuat, adeò vt nihil pæne sit in rebus humanis, quod sit omnium mortalium ætati maiori ornamento, quodque rei tum publicæ tum priuatæ magis conducat, immò magis sit necessarium, quam ipsa lit-

terarum artiumq́ omnium liberalium cognitio: Hac enim claritas acquiritur inter ciues, hac quiſque rebus non vulgaribus præficitur, hac in aduerſis ſe conſolator, in proſperis ſibi moderatur, huius ſuaui cõtubernio, etiam cum maximè ſolus eſt, lætus perfruitur.

Hæc qui mente ſecum reputat, quis non ſummis laudibus vehat Parentis veſtri conſilium, qui filios tam multos, procul à patria, tanta ſolicitudine, à doctis ac pijs Inſtitutoribus liberaliter procurat educandos; quiq́ nunc ipſe in Galliam ſe recipit, nunc petit Germaniam, maximis tum ſumptibus ſuis, tum periculoſis itineribus, varijsq́ ſe fortunæ caſibus obijciens, vt ſibi comparet quo liberis ſumptum ſtudijs neceſſarium ſuppeditet. Quo nomine non poſſum nõ, tametſi vetuſta neceſſitudine coniunctiſsimum, vehementius ipſum adamare, ipſumque & colere & celebrare, quantum ipſius id animi moleſtia permiſerit.

Ad vos igitur me conuerto, optimi & ingenui Adoleſcentes, quos ego ter

quaterq́; beatos existimo, quibus tali nasci Parente obtigerit, qui & possit, & velit, vos optimis quibusque disciplinis rectè & ingenuè informandos curare; Et quod in educationis negocio potissimum est, qui vobis ipse præluceat, & viam commonstret expeditam, quæ rectà vos ducat ad vitam beatam & immortalem; quem respicere & intueri, cui auscultare necesse est, nec vel pedem discedere à tramite quo vos ire iusserit; sed omnibus potius eniti, tum corporis, tum animi viribus, vt, dum ille vobis subministrat oleum, vos operam ne perdatis: quod facile cauebitis, si toto pectore, quod aiunt, huc incubueritis (quod Parentibus vestris est summæ curæ) vt & vita meliores, & eruditione euadatis quotidie ornatiores.

Si porro vos rectà huc contendentes, magnus subinde & assiduus terreat subeundus labor, incredibilis certè fructus, laboris amplissima merces, vos erigere, vos huc inuitare & excita-

re debet. Habent ſiquidem ſcientiarum principia potiſsimùm, radices amaras quidem, ſed fructus multa dulcedine refertiſsimos. Et veluti Roſæ flores omnium pulcerrimi in ſpinis naſcuntur; ſic ex duriſsimis ſtudiorum laboribus, percipiuntur fructus multò ſuauiſsimi. Quos fructus Diogenes & breuibus & luculentiſsimis expreſsit verbis:

Eruditio, inquit, Iuuenibus ſobrietas eſt, Senibus ſolatium, Pauperibus diuitiæ, Diuitibus ipſis ornamentum.

Perpendite, adoleſcētes optimi, quid hic dicat Philoſophus Græcus, quantumq́ eruditionis encomium, paucisſimis verbis incluſerit. Nulla eſt ætas hominis vel conditio, cui non magno ſit emolumento, Eruditio, Iuuenibus, Senibus, Pauperibus, Diuitibus.

Vobis igitur qualeſcunq́ vel nunc ſitis, vel fueritis aliquando in poſterum, non poteſt non ipſa Eruditio eſſe maximæ voluptati, maximo vſui & ornamento, Atq́ hæc ea cōſideratio & ſpes eſt, qua inducti Parentes ueſtri ad hæc

ſtudia

ſtudia rectè excolenda nullis omnino parcunt ſumptibus, Vos igitur & hæc eadem, tum tanta Parentum in vos pietas commoneat & cõmoueat oportet, vt eorum de vobis expectationi, quam non exiguam ſuſtinetis, enitamini ſatisfacere. Quod vt alacrius & facilius præſtetis, mittimus dono munuſculum nominibus veſtris inſcriptum, Selectiores videlicet, clarum Virorũ Epiſtolas, ex quàm plurimis in vſum ſcolarum à nobis ſedulò collectas, quas pueribus veſtris ſtudijs rectè auſpicandis, emolumenti non parum allaturas, vobiſque & vniuerſis politiorum litterarum candidatis hoc etiam iucundiores futuras confidimus; quod earum pars maxima Nobilitati, Principibuſque Viris, & Eccleſiæ Proceribus, reliquæ verò pæne omnes viris & litteris & eruditione multa excultiſsimis inſcriptæ ſint, vt Lectori ſimul & fructum adferant & voluptatem. Mirabilis ſiquidem vtilitatis fructum attulerit ſermonis Latini puritas, elegans & tamen illabo-

rata orationis forma, Voluptatem verò non minorem argumenti in ipsis mira quædam & iucunda varietas, quæ Lectorem subinde tanta demulcet voluptate, vt animus dictionis elegantia & rerum varietate pellectus, multa earum lectione vix tandẽ expleri queat.

Dicerem nunc etiam, quod res & locus postulant, de earum scriptoribus, nisi vererer, ne gracilior hęc nostra camœna tam eximiis eorũ laudibus decantãdis nulla ex parte sufficeret. Quid enim eos ipse laudẽ aut prędicem, quos ætatis nostræ viri ingenio & copia dicendi pręstantissimi summis laudibus prosecuti sunt? quos ipsa Italia, quos Gallia & Germania, atque vniuersus hic orbis noster Christianus, & scripto, & famæ præconio celebrarint? cumque adhęc vino vendibili suspensa nihil opus sit hedera, ipse à laudibus eorum supersedebo, hoc tantum dixisse contentus, si harum auctores omni certè doctrinæ & ingenij laude celeberrimi, aureo illo Ciceronis seculo vixissent; inter eos nõ infimo gradu constitissent, quorũ Epistolas

ſtolas familiaribus, & ad Atticum Ciceronis inſertas paſsim legimus. Quãobrem vt Ciceronis epiſtolis nihil ne frugi quidem poteſt quicquam purius, aptius, aut elegantius: Ita his quidem primùm ſedulò lectis, Ciceronis, quæ paulo acrius iudicium requirunt, non multo poſt ſubſequantur neceſſe eſt, tum vt in his, vt ad vſum communem accommodatioribus adoleſcens nonnihil exercitatus expeditius Ciceronis aſſequatur, tum vt tota imitationis ratio queat facilius ab ipſo percipi, quod ad parandam Eruditionem momenti non minimum habere creditur.

Geminus harum epiſtol. vſus.

Hæc fere ſunt, Adoleſcentes ingenui, quæ me commouerunt, vt de his in vſum puerilis ætatis colligendis, collectisq́ in lucem emittendis primùm cogitare cœperim, conſiliumq́ ad effectum perduxerim, quem equidẽ laborem, ſi ſtudijs veſtris non inutilem fuiſſe aliquando intellexero, erit quod non vulgariter gaudeam, mihiq́ magnificè de ſuſcepti laboris fructu graculer.

Deum Opt. Max. precor, vt bene cœpta ſtudia veſtra prouehat, ad lætamq́; frugem perducat, atque vt vos ipſos in multos annos tueatur ac ſeruet incolumes. Mechliniæ, Anno à partu ſalutifero, M. D. LXXIIII. Kal. April.

Ad librum.

I nunc care Liber, Belleri accede penates,
I bene propitio numine care Liber.
I nunc, ad refugis? primum ſaluere iubebis.
Tum te ſuſcipiat ſupplice voce petes,
Si roget, Vnde venis? Dic Thabore Mechliniano.
A Verrepæo nempe Simone tuo.
Poſtea nos ipſi dic omnia læta precari.
Viuat & vt felix, hoc ſatis, adde, Vale.
Mechl. 1574.

INDEX.

INDEX

Commonſtrans quis cui ſcribat, & quoties.

PETRVS BEMBVS.

Hiero-

IACOBVS SADOLETVS.

Herculi

Camillo

In sele-

In selectas clarorum virorum epistolas, M. Augustini Viscauij Mechliniensis Epigramma.

SPlendita doctorum non emoritura refulget
Gloria, perpetuo laudis honore micans.
Et breuior cursus quanquam sit metaq; vitæ,
Lubricus ambiguis paßibus erret homo:
Fama tamen superest post busta voracia, nomen
Astra petens longos viuere datq; dies.
Nobile quos inter poscunt sibi iure trophæum,
Qui studijs linguas perpoliere suis.
His sine nam rerum dono pulcerrima diuûm
Cognitio queat haud obtinuisse decus.
Miratur Bembum patriæ ergo sera decorem
Posteritas, raris annumeratq; viris.
Cuius ab ore fluit Latij, ceu fonte, venusta
Mellifluo phrasis & plena lepore cadens.
Ac Sadoleti memori præconia voce
Cantat, & eloquij flumina magna stupet.
Purpurei titulis effulsit vterque Senatus,
Dignaq; virtutis præmia clarus habet.
Longolij nec ijs cedet bene sermo disertus,
Omnimoda cultus fertilitate scatens.
Quem si fata virum seruassent impia, Tulli
Principis eloquij victa loquela foret.
Gaudet & illorum proles inscribier albo
Aldina, egregium mente refertq; patrem.

Atque

Atque coronatum simul addecet esse laborem,
Hoc Verrepæi quem superaddit opus.
Qui studijs semper Iuuenum prodesse laborat,
Et quacunque valet parte iuuare, iuuat.
Antuerpiæ.

Ad studiosum Lectorem Adrianus Scherenbergius Antuerpien.

Qui cupis è varijs blandos decerpere flores,
Spirantes hortis captareque naribus auras,
Huc adès: hunc viguli cito perlege mente Libellum,
Perdocti Symonis opus, tibi protinus ora.
Barbara formabit: rudis ac mage lingua latinos
Ipsa sonos referet, verborum sorde repulsa;
Incertumq; reget calamum, nec epistola mendis
Vlla scatere potest horum vestigia curæ
Carpere si fuerit: breuitas & tædia pellet.
Grata dabit largum multo & cum fœnore fructum.
Lectio, nec multos sit consuluisse necessum
Auctores, præsens tibi suggerit optima Codex.

FINIS.

LIBER

LIBER PRIMVS.

LEO X. CAROLO HI-spaniæ Regi.



E TVA TAM EGREgia in nos uoluntate, ago tibi, quas debeo gratias: hoc est maximas atque amplissimas: spondeoq; me eius rei memoriã meo ex animo nunquam deleturum: daturum autem operam, ut parem in me uoluntatem persimilemq; semper experiare iis in rebus, quæ ad dignitatem tuam, uel sustinendam uel amplificandam pertinebunt: Dat. XIII. Kal. Mart. M. D. XVIII. Anno quarto Roma. P. Bembus epi. Pontificarum. libro 14.

Ant. Perrenoto Episc. Atrebatensi.

CVm scriberem ad patrem tuum clarissimum uirum, mandauit tabellario, ut meis uerbis tecum accuratius loqueretur. Ego, quod ad me attinet, amorem eum conseruo, quem iam ab eo congressu, quo ad Nicæam primùm unà fuimus erga te suscepi. Tu si pari erga me uoluntate fueris, non solum meæ expectationi satisfacies, sed humanitati etiam constabis tuæ. Vale. Carpentoracti. V. Idus. Nouemb. M. D. XLV. Iac. Sadoletus epist. li. 15.

Leuino Torrentio, Leodium.

P.Manuti⁹ lib.5.epist. LEodiensem Episcopum, de quo multi multa narrant omnia præclara, summoq; digna principe, si quid habebo artis aut facultatis, ornabo laudibus: sin, quod suscipiam, præstare non licebit, amabit ille tamen ut opinor, uoluntatem. Tu me interim, de meliore, ut ille inquit, nota, commendabis, eiusq; in me beneuolentiã, si qua est, ea qua apud illum uales gratia, fouebis. Vale. nosq; sæpe litteris, si otium est, saluta. Venetijs.

Leo X. Maximil. Mediolanensium duci.

Bemb.Põt. epist.lib.9. PRoficiscitur Mediolanum is, cui has ad te litteras dedi, abs te petiturus, ut sibi emere istic liceat thoracas ferreos quater mille, quibus nostri pedites uti poßint. Qua in re te hortor, des ei atque commodes, non id modo, ut emere thoracas illos: sed etiã ut sine portorij solutione educere de tua ditione possit. Datum quarto Kalen. August. Anno I I. Romæ.

M.Ant. Mureto, Patauium.

Manu.li.3. O Mi Murete, quot me premunt onera, quibus angor curis: accedit imbecillitas ualetudinis, quam, do equidem operam, ut omnino tuear ac sustentem: sed uacillare interdum necesse est: ita multa incurrunt in nos, quæ nec uitare licet; nec sumus ad

sustinen-

ſuſtinendum pares: tu me: tuus amor, tua uirtus multum leuat. Vale. ante ſolis ortum albeſcente die. Nonis Septembr. quo me die diſcedere cogitantem, noua res detinuit.

Leo X. Franc. Marchioni Mantuæ.

QVoniam ad ſacra conficienda, præceſq; diuinas celebrandas, cantore mihi opus eſt, qui grauiore uoce concinat; uelim ſi tibi incommodum non eſt, ut ad me Michaëlem Lucenſem cantorem tuum mittas: ut eo noſtris in ſacris atque templo, quod eſt omnium celeberrimum, atque ſanctiſsimum, communemq; totius orbis terrarum pietatem & lætitiam continet, uti poßim. Datum tertio Kalend. Auguſt. Anno ſecundo. Roma. Bemb. Pōt. epiſt. lib. 9.

M. Ant. Nattæ. Mantuam.

DE rebus meis, de ualetudine, de ſtudiis, exigit omnino amicitia noſtra, ut aliquid ſignificem: ſed neque nunc ſatis otij ſuppedit, neque, ut uere dicam libenter ſcribo, quæ tu non libenter legas: meliora tamen omnia paucis diebus fore uidebuntur: itaque uberiors à me litteras expectato. Hæc dictaui properè multis diſtrictus negotiis, animo curis impedito. Liber tuus propediem prælo committetur, & diligēter emendabitur. Vale. Manutius libro 3.

Herculi Strotio Ferrariam. S.

Bembus li. 3. epist. Familiarium.

COenanti mihi heri cum fratre tuo, redditæ sunt abs te litteræ, perbreues illæ quidem; uti cum hominis occupatißimi, tum cui nihil esset ferè, quod scriberes, præter salutem. Scripsisti tamen, atque ita scripsisti, ut amore erga me tuo, tuaq́; beneuolentia, pagella etiam ipsa redundaret. Itaq; ualde te amo; quod des operam, ut esse me tibi quam carißimum, nõ dictis tantum, sed etiam codicillis intelligam. Vale. XIII. Kal. Nou. M. D. II. De *Strotiano tuo.*

Seb. Leoni Cordubensi. Romam.

Manutius lib. 4.

NIcolaus Nathaelus egregiè moratus adolescens magnos in latinis litteris progressus à discessu tuo fecit; Is cum mihi per se carus est, tum eo magis, quod de te sæpè loquitur amantißimè, tuamq́; erga se, patremq́; suum, insigni probitate atque doctrina uirum, perpetuam benignitatẽ sic in ore habet, ut eius memoriam nunquam sinat intermitti. Romæ te nunc esse, tantũ abest ut doleam, ut etiam summè gratuler. Vale.

Leo X. Laurentio Maluitio.

Bemb. lib. 4. Pont.

EXcusationem tuam, qua mecum per litteras uteris, de tuo ad nos aduentu, eatenus admitto, ut te bono in me animo esse planè existimem; Volo autem, & tibi mando, ut reiectis omnibus impedimentis Romam uenias. Cæterum ad eas litteras, quas hac de re tota,

tota, magiſtratui Bononiæ *dedi, te referes; quæq; tibi is meo nomine mandauerit, ſine ulla tergiuerſatione aut mora.* Dat. XVIII. Kal. *Sept.* M.D.XIII.

Antonio Rolando. Lutetiam.

T*Vrnebus, ut me plurimum diligat, quod certè mutuo faciet, exopto.* Plurimum *mihi tribuat, quod litteræ tuæ ſignificant, nõ poſtulo.* Quid *enim ego ſum? aut ſi eſſe aliquid uideor, præ illo tamẽ quid ſum?* Ille *eſt, cui iure omnia tribuantur: qui iam peruenerit eo, quo nobis aſpirare non licet.* Saluta *eum meis uerbis, cum ueterrimo amico meo, ſpectatæ uirtutis & induſtriæ uiro,* Carolo Stephano. Te Lutetiã *uocarunt tua ſtudia: quare contende, ut quam celerrimè conſequaris, quo conſilio* Lutetiam *petiuiſti.* Vale. Manutius lib. 5.

Petro Bembo.

E*Gidium* Cardinalem *minus commodè ualere, mihi ualde moleſtum eſt.* Amo *enim hominem maiorem in modum.* Nam *cum omni eximia uirtute, & humanitate præditus eſt, tum & mihi & tibi ſemper fuit amiciſſimus: in tanta autem penuria noſtri temporis uirorum talium, & amandus & colendus nobis præcipuè eſt;* Ei *ut plurimam dicas meis uerbis ſalutem, itemq; nuncies, ad eum me ſcripturum fuiſſe,* Sadoletus lib. 1.

nisi ualetudini eius parcendum esse duxissem, uehementer te rogo; Vale mi charißime & suauißime Bembe,*nosque quod facis dilige.Carpētoracti.* M.D. XXVIII.

Leo X.Iano Parrhasio.

Bēb.li. 10. Pontific. CVm *id magnopere optē, ut* Romanus *litterarū ludus à præstantißimis doctoribus exerceatur, ut ij qui se bonis artibus dediderunt ex ea re fructus uberrimos percipiant: de tua in studiis mitioribus doctrina certior factus ad ea publicè docenda* Romæ *te sublegi,stipemq; tibi dari iußi annis singulis ducencentorum aureorum nummûm.* Quare *uolo ut ad urbem quamprimum uenias: libenti enim te animo atque paterno uidebo.*Dat.*tertio* Calend. Octob. Anno II.R*omæ*.

Egidio Cardinali S.

Bemb.li. 6. Famil. VIctorem *Superantium* Cubicularium Clementis, *qui tibi has litteras reddidit, ualde amo.* Est e*nim & eruditus,optimisq; artibus deditus, & bonus plane iuuenis, ac summa probitate summaq; modestia.*Eum *uelim tua facilitate sic complectare; ut mihi gratias agat,quod se in tuam familiaritatem insinuarim. Id enim cupit maximè.* Gratum *adolescentem, & officiosum,et tua beneuolentia dignum cognosces.* V*ale*.XIIII.Cal.Q*uint*.M.D.XXX.E Noni*ano*.

Ioanni

Ioanni Cochleo S.

QVæ scribis ad me de Ecclesiis istic desertis à cultu Dei, deq; concionibus aduersariorum nostrorum, periculisq; omnibus quæ piis & probis hominibus impendent: ita mihi acerba & luctuosa uisa sunt, ut non audeam ea, tanquàm uulnera animi mei, uerbis refricare. Deum supplex oro, ut aliquãdo ipse benignioribus oculis nos respiciat, non enim iam ullis nostris in consiliis, sed in Domino sunt omnia, ad quem spes nostras penitus habere conuersas debemus. Vale. Carpentoracti: Pridie Idus Nouembris. M. D. XXXIX. Iac. Sadoletus lib. 11. epistol.

Nicolao Prendilaquæ S.

TArditatem in scribendo uel ad te, uel de te meam mihi molestam esse gaudeo: Video enim me amari abs te, cùm uel meas litteras expetis, uel esse in meis scriptis memoriam aliquam de te nostram cupis. Itaque tua ista expostulatione, quasi præteritæ à me nostræ necessitudinis, nihil mihi esse potuit iocundius. Ego uerò post discessum istinc meum reditionemque domũ in multis occupationibus ferè semper sum uersatus: ut scribendi ad te, nullis præsertim de rebus, mihi otium non fuerit. Vale. Calend. Decembr. M. D. V. Venetiis. Bemb. li. 4. Famil.

Andreæ Duditio, Patauium.

Manutius lib. 4.

QVod me reuocas ad consuetudinem tuam stimulum scilicet currenti: sed mihi crede, non plane totus abs te discessi: neque te mihi prorsus eripiunt, aut eripient unquam locorum interualla. absens tecū sum, tacitus loquor, & loquentem audio. sic lenitur imagine pariucunda desiderium nostrum. quod cúm ita sit, operam tamen studiosè dabitur, maturè ut excurram, quo ire necesse est, si meam fidem tueri uolo, & quò tamen, quia disiungor à te, minimè libenter. Vale. Venetijs.

Bartholomeo Riccio S.

Bembus li. 6. famil.

GRatus mihi tuarum literarum sermo elegans & doctrinæ plenus fuit: quibus literis gratularis me à Paulo Tertio Pont. Max. in Cardinalium collegium, quos pontifices appellas, fuisse coaptatum. Tametsi tu quidem parcior multo continentiorq; debueras in me laudando esse. Sed tuæ te eloquentiæ flumē altum profectò atque latum, ut à ripa soluisti, liberius rapidiusq; uexit; quàm oportebat. Qua de re maiores tibi gratias & nunc ago; & referam cum potero. Vale. Nono Calend. Iunias. M. D. XXXIX. Patauio.

Paulo Sadoleto S.

I. Sadolet9 li. 17. epist.

FRater tuus mihi admodum satis facit, seq; exhibet & facilem & cupidum obtemperandi mihi: & certè

& certè (ut ætas illa est) nihil, aut admodum rarò delinquit. Spero de eo optimè. Sacratus in suis studijs est aßiduus: cæteri familiares bene habent. Nos hic in suauißimo otio uiuimus: copia rerum abundamus (præterquàm pecuniæ) pene omnium. Multum mihi tuæ ad Bembum placuerunt litteræ: ut si homo es, magno animo dedere te debeas ad latinè scribendarum epistolarum genus. Ad postremas tuas litteras nihil est quod rescribam amplius. Satis enim ad omnia arbitror responsum. Vale etiam atque etiam. V. Calend. Ianuarij. M.D.XXXV. Carp.

Lazaro Baifio Oratori Regis Gallorum S.

Mitto ad te dialogos aliquot meos nuper quidem editos, uerum à me partim iuuene, partim etiã adolescente confectos: ut quantum te amem, ex hoc poßis cognoscere; quod eos ad te uenire uolui prope nudos: qui de re uestiaria tam luculenter conscripsisti. Mitto etiam eosdem alios; quos peto à te, ut per tuos tabellarios perferri mandes Lugdunum: desq; negotium alicui tuorum uel amicorum, uel hospitum; qui Lugduni sunt: ut eos mittant Carpentoracte Iacobo Sadoleto reddendos. Erit id mihi abs te supra, quàm dici poßit, gratum. III. Vale. Id. Iunias. M. D.XXX. Patauio. Bembus li. 6. Famil.

Leo X. Ioanni Paulo Balioni.

Bemb.li.8. Pontifi.

HOrtor te, atque abs te planè peto, uel si opus est, mando etiam: ut Sibiciani dominos fratres ulla molestia neque afficias ipse, neque affici permittas à tuis. Cures autem potius, desq; operam, ut eorum agri atque oppidula tuis à militibus tuta sint: quemadmodum quidem conuenit ea omnia per te esse, quæ nostra sub tutela conquiescunt. Id enim magnopere uolo, ut eius fratribus negotium ullo ab homine temere atq; iniuria, ne adhibeatur. Quod si tibi ius eorum in bonis competit, dabo ipse operam, ut tibi quem unicè diligo, modo id iuris uia postules, non ui atque armis appetas, quamprimum, quàmq; ampliter satisfias. Dat. VII. Cal. April. Anno secundo. Roma.

Francisco Episcopo Agriensi S.

Sadoletus libro 11.

LItteræ tuæ, quanquam tristioribus curis refertæ, me quoque iterum in eandem penè solicitudinem & societatem mœroris attraxerunt: tamen in eo mihi fuerunt periucundæ, quod magnum mihi dederunt testimonium tui erga me amoris: qui me potißimum delegisti, cum quo omnia quæ te angebant, communicares. de qua re uelim sic constituas, te neq; fideliorem deligere potuisse quenquam, neque amantiorem tui. Vale. Brodericum nostrum diem suum obiisse molestum mihi fuit: amicum certe hominem, &

cuna

eundem uirum bonum prudentemq́; amisimus. Iterum uale. Carpent. X. August. M.D.XL.

Carolo Vtenhouio S.

IIs *in litteris mittendis, quibus ad* Erasmum *rescripsi, nulla celeritate te uti uolo. Quicunque primus te adierit, qui* Basileam *cogitet; is erit aptissimus; cui eas literas des. Nihil enim continent, præter id unum, eius de te commendationem magnum apud me pondus habuisse; idq́; me tibi rebus omnibus ostensurum. Amari me abs te ualde gaudeo. Cæterum quod petis, ut te destitutum omni auxilio tuear; ego uerò id non libenter modo, sed etiam cum uoluptate sum facturus; si quid illud sit, in quo mea uel ope uel beneuolentia indigeas, quodque me uelis facere, abs te cognoro. Vale. XVII. Calend. Maias. M.D.XXIX. Patauio.* Bemb. li. 6.

Paulo Sadoleto S.

NOs *hic sat belle habemus: asperiorem aliquanto sentimus hyemem, quàm in his regionibus solita sit: annona & reliquis fructibus abundamus. Frater tuus quotidie magis et moribus honestis quod uidemus: & literis, quod speramus, proficit. Sacraus in officio est, commodamq́; mihi præbet operam. Amici & familiares ualent. Reliqua si qua sunt, à domesticis* Sadoletus lib. 17.

mesticis ad te scribi copiosè puto. Nigrum meum saluere plurimum iubeas uelim: quem ego amo medius fidius, et in medullis habeo: eius litteris non rescripsi, satis spatij non habens: & tamen nullam ei epistolam arbitror te internuntio futuram gratiorem. Carpētoracti. M. D. XXXV.

Tarquato Bembo filio S.

Bembus lib. 6. Fam.

Horologio è mea bibliotheca tibi allato; à quo expergefieri, qua hóra uoles, posis; te libenter uti, non molestè fero. Modò te id non intemperatè à somno auocet. Valetudinis enim tuæ curam te habere in primis uolo. De tuorum studiorum ratione, nihil tibi mando nunc quidem; nisi unũ. Fac; ut in tuis, quas ad me das literis, Ciceronem accuratius exprimas; moremq; illius scribendi, uerba, numeros, grauitatẽ, lenitatem, diligentius imitere. Hoc si feceris; omnia te assecutum putabo. Præceptori tuo multam salutẽ; Tufeto etiam. Vale. XVI. Cal. Feb. M. D. XLIIII. Romæ.

Leo X. Ioachimo Marchioni Brandenburgensi.

Bembus lib. 3. Pont.

Litteræ tuæ, quibus mihi de Pontificatu Maximo gratularis pergratæ mihi perq; iucundæ fuerũt. Nam & tuum in Rempub. obsequium atque cultum, & in meipsum ueterem obseruantiam & studiũ præ se tulerunt. Itaq; si quid erit in quo amplificare tua com-

cōmoda tuamq; dignitatem poßim, meam tibi operā in eo libētißime polliceor. Quod autem mihi Ioannē Plancheselem Iurisperitum procuratorem tuum doctum sane hominem, & prudentem uirum, & agendis rebus in primis idoneum diligenter commendas, facis & ex more boni Principis, & ex ipsius, ut mihi uidetur, meritis. Quamborem & complector iam illum libenter per me ipse, & posthac tua commendatione mihi erit etiam carior. Dat. V. Non. Iul. Anno Pri. Ro.

Francisco Vngaro Episcopo Agriensi S.

TVæ epistolæ longißimæ mihi forent suauißimæ. Nam quas accepi, perbreues mihi uisæ sunt, tāta à me cum uoluptate sunt lectæ. Qui si Romæ essem, lacesserem te crebro meis scriptis. Nunc longè gentiū absum, neq; sane mihi constat quod ad tempus sim in urbem reuersurus: nam neque quicquam adhuc uideo quod me illuc attrahat, & multa sunt hic quæ me detineant. Proinde scito, labare meum illud primum consilium Romam redeundi. Quicquid tamen egero, faciam te certiorem. Tu me uti diligas, Regiq; tuo meam & fidem offeras, & obseruantiam, Brodericumq; plurimum meis uerbis salutes, ualde te rogo. Carpentoracti. VII. Idus Iulij. M.D.XXXIX. Sadoletus lib. 11.

Mario

Mario Corrado, Brundusium.

Manutius. lib. 2.

EDidi iam commentarium in orationem pro Sextio, & proximis diebus in epistolas ad Brutum, & ad Quintum fratrem: quem tibi nunc utrunque mitto, munusculum uidelicet, ut ait ille noster, leuidẽse: sed rem uoluntate metieris, maiora uellem, & fortasse possem: uerùm infirmitas corporis facit, ut labore debiliter: lippitudo autem, ne legere diutius liceat, aut scribere. magnam etiam mihi temporis partem eripiunt salutationes amicorum, magnam domestica negotia: sexcẽta praeterea, quae me à studiis auellunt, sed feramus. humana sunt, nec praecipuè nostra, sed communia cum multis. Tu me uelim, ames, et si par pari referre uis, amore non uulgari. Vale. Venetiis.

Lazaro Bonamico S.

Bemb. li. 6.

ACcepi heri tuas litteras Idibus Decembris datas, cùm prudentes illas quidem & graues; tum ornato in primis, ac perpolito stilo scriptas; tui uerò erga me amoris & beneuolentiae non plenas modo, sed me hercule etiam profluentes. Quibus cùm quid à me postules cognouerim; curabo sanè, quoad fieri poterit; ne aut operam, aut studium, aut diligentiam, aut certè amorem erga te meum, aut etiam prudentiam, de qua scribis, si modo est ulla in me prudentia, in eo moliendo, tractando, conficiendo desideres. Lõgiorem

giorem epistolam ne faciam, multæ me occupationes impediunt. Ignosces igitur breuitati literarum: et uale bis. Nono Calend. Ianuarij. M. D. X X V I. Rom.

Petro Bembo Cardinali S.

FLorebellum meum tam humanè à te, tamq; liberaliter tractari, gratißimum est. Ego illum iuuenem non mediocriter diligo: summaq; in spe sum, fore eum huic seculo & suis temporibus ornamento. In quo tua quoque laus non minima futura est, quod ex domo atque ex disciplina, tale ingenium prodeat. Is maximas tibi sæpenumero apud me per literas agit gratias. Quare eum tibi ne commendo quidem, uideo enim minimè esse id necesse. Hoc te scire uolo: quidquid in eum comitatis & beneuolentiæ tuæ contuleris, id me existimaturum, in me abs te collatum esse. Vale mi charißime Bembe. Carp. Sadoletus libro 12.

Io. Baptistæ Pignæ, Ferrariam.

ALphonso duce creato, gratulatus Ferrariæ sum: quæ tum ex noui principis eximia uirtute fructus capiet egregios: tum ipsa quoque ad omnem uirtutem, eius, à quo regitur, exemplum secuta, diligentius incumbet, mores enim ciuitatis ex Principis moribus effinguntur, et, ut ait Plato: Quæ apud eos, qui dominantur, studia uigent, eadem reliqui ciues amplectun- Manutius libro. 5.

plectuntur, & colunt. Ergo florebunt in uestra ciuitate liberales disciplinæ, ac debita iam pridem ingenuis artibus præmia persoluentur: quod equidem tua potissimum causa doctissime pigna me magnopere gaudeo. Vale. Venetiis.

Leo X. Alfonso Duci Ferrariensium.

Bembus lib. 4. Pon.

IAcobum Sadoletum ciuem tuum, cuius egregia & fideli opera scribendis epistolis quotidie utor ob eius excellens atque præclarum ingenium, optimarumq; artium singularem doctrinam, & præstantem omni uirtutum genere animum magnopere amo, facioq; sanè plurimi. Eius sororis uir Tadeus Gilinus cupit impetrare abs te magistratum aliquem tuis in locis, quem triennium, aut biennium exerceat: ut & honestius eos dies traducere, & familiam suam alere facilius atque commodius possit. Itaque te non solum hortor, sed etiam rogo, uelis præclari hominis, mihique carissimi propinquo prudenti, ut intelligo, uiro & uirtute prædito satisfacere, qui tamen rem omnem desideriumq; suum tibi coram ipsemet diligentius explicabit. Dat. V. Idus Septemb. Anno secundo. Romæ.

Antonio Florebello suo S.

Sadoletus lib. 16.

MI Antoni, quando eos cursus cepisti, qui ad summam laudem deducere te possunt: perge por-

porrò atque enitere, ut spes nostra de te indies fiat erectior, magnumq́; ex te accedat nostræ communi patriæ ornamentum. Non eges tu quidem hortatione: sed tamen amor meus non patitur à me prætermitti, ne hoc officium quidem ut te horter, & admoneam, ut instare atque urgere tantam gloriam ne cesses. Ego ita faueo tibi, ut filio: ita in tuis laudibus acquiesco, ut illis me quoque existimen ornari. Quare si hoc animo fueris, ut & meam & tuam uicem tibi conandum atque elaborandum esse putes: non dubito quin ad summum honorem huius facultatis sis peruẽturus. Vale ex hortis nostris. IIII. Non. Iun. M.D. XXXVI.

Damiano Lusitano S.

DElectatus magnopere sum litteris tuis: quæ me tui cupidißimũ de omni statu tuo erudierũt. Itaque gratulor te uxorem duxisse atque ita consulere posteritati uoluisse. Quam tibi rem Deum Opt. Ma. fortunare uolo. De me quod scire optas, nihil possum dicere, præter hoc unum, me in Cardinalium collegium à Paulo tertio Pontific. Max. non modo non petentem, sed ne cogitantem quidem ea de re quicquã, fuisse cooptatum. Nunc me comparo, ut ad illum proficiscar; id enim me quàm primum facere uult. Te amantißimum mei esse, ut scribis ualde gaudeo. Idem Bembus lib.6. Fam.

de me tu ut cogites, exploratumq; habeas, à te peto. Resendij litteræ si uenerint, erunt mihi gratæ. Vale. Nonis Aprilibus. M.D XXXIX. Venetijs.

Francisco Episcopo Agriensi S.

Sadoletus lib. 11.

DE rebus Turcicis nihil habeo quod placeat mihi ad te nunc scribere. Tu quò propior illis es, hoc melius nosse omnia potes. Nos illud timemus, (in quo utinam fallamur) ne iam de nobis ac Christiano nomine actum penè sit: ita laboramus intestinis externisq; malis, nec quicquam firmi auxilij paratum nobis esse ulla ex parte cernimus: nisi quod in Deo uno sunt omnia. Sed hæc hactenus. Vina Gallicana te interdum optare, suaue admodum mihi est intelligere ex tuis litteris. Quod longè esset suauius, si te illorum possem facere participem. Non enim mihi bibere illa tam foret iucundum, quàm tecum bibere. Quod forsitan Romæ aliquando licebit utrique nostrûm. Regi tuo optimo & clarissimo Principi plurimam meis uerbis salutem dic. Vale. Carpentoracti, IIII. Idus Octobris.

Carolo Sigonio, Patauium.

Manutius lib. 5.

PAtauij te nũc esse in celeberrimo Italiæ theatro ubi spectantur & notantur acerrimè quidquid agas, quidquid dicas, & sæpè mihi nec unquam sine aliquo metu in mentem uenit. sic sunt qui amant: omnia

nia cupiunt, omnia timent. Vides quo te in loco tua uirtus, quanta omnium expectatione, constituerit, nihil mediocre præstandum est: nec ut cum alijs quibus te iam doctrina, industriaq́; antecelluiſſe omnes iudicant: sed ut tecum ipse certes, teq́; ipsum si licet uincas, omniq́; laudis genere cumules, elaborandum. quæ cùm ad quem scribam, considero, & cùm mihi singularem tuam rectiſſimis in studijs cupiditatem, ac diligentiam propono, mirificè lætor, nec me tamen pænitet hoc nostræ neceſſitudini tribuiſſe, ut ea legas à me scripta, quæ minimè neceſſaria duxerim. Vale, & si uacat scribe non accuratè, sed ut ego nunc, quidquid in buccam, ne pereat fructus nostrorum sermonum. Venetijs.

Iacobo Symonetæ Cardinali.

IVcundiſſimæ mihi litteræ tuæ. Iucundiſſimæ solum? imò etiam salutares. Quòd enim te saluum mihi & sospitem nunciarunt, per eas mihi quoque incolumitas est restituta: de quare, & tibi gratulor, & mihi gaudeo: Deumq́; supplex oro, ut te in optimo statu diutiſſimè ualere iubeat. In ijs quòd tuam mihi opem & beneuolentiam paratam semper ostendis, iamdiu est cùm ego ita iudico, neminem me habere neque amicum, nec patronum, ad quem fidentius omni meo in negotio quàm ad te ipsum cõfugere poſſim. Sadoletus lib. 14.

Quanquam facis tu quidem secus, quàm cæteri omnes. Alij enim prius pollicētur, quàm quicquam præstant: tua beneficia liberalisq; natura bene mereri antè incipit, deinde etiam uerbis benignitatis officia prosequitur. Sed hæc & mihi aliàs dicta sunt, & suis dicentur locis. Vale. & me, quod facis dilige. Carpentoracti, V. Calen. Octob. M. D. XXXIX.

Venetias
Bernardo Bembo patri S.

Bembus li. 1. Famil.

MEssanam uenimus ad quartum nonas Maias, nauigatione usi perincommoda: quod uiæ, cùm discedens à te, pedibus me facturum putarem, mutaui consilium cùm essem Neapoli, propter hospitiorum infrequentiam; tum hospitia ab omnibus rebus imparatißima. Itaque nauiculam nacti, decimo die Siciliam tetigimus nauseantes. Sed abstersit nobis omnem molestiam, Constantini Lascaris humanißima congressio. Qui nos excepit libentißimè, & liberaliter est pollicitus. Idq; re præstat. Erudimur enim mira ipsius diligentia, tum amore prope paterno. Omnino nihil illo sene humanius, nihil sanctius. Reliqua etiam omnia satis ex sententia. Vrbs præclaro loco posita ad mare, portu amplo atque tutißimo. Aëris mira temperies. Annona rerum ad uictum omnium, cùm uilis, tum luculenta. Quæ tibi nota esse uolui, ut consideres

nos,

nos hic, etiam cum uoluptate futuros. Helenæ matri meæ multam salutem, & Carolo fratri, & Antoniæ sorori. Vale mi pater optime atque optatißime. Tertio Kalend. Iunias. M. CCCC. XCII. Messana.

Paulo Sadoleto S.

DE tuo aduentu ad nos, quod te paratum ad ueniendum ostendis, mihi ualde gratum. Farnesius mihi certè confirmauit, se tibi successorem hoc Septembri mense omnino missurum esse: quapropter Octobri in uiam dare te poteris. Equidem auidè te expecto, cùm propter alia multa, tum ut de committenda tibi Ecclesia summum consilium capiamus. Ego enim Paule iam nec honores, nec illum statum uitæ in quo splendor sit aut dignitas, sed tantum quietem, & silentium, & otium his meis extremis annis peto. Quod non possum quidem adipisci in præsentia, ob ea impedimenta quæ tu nosti. Veruntamen non absum longè ab hac spe, cõsultum aliquando fore rationibus meis, quæ ad hoc genus uitæ cunctæ respiciunt: qua de re tota, cùm ueneris, deliberabimus. Tu fac ut ualeas. Romæ VI. Id. Iun. M. D. XLVI. Sadoletus lib. 17.

Leo X. Sigismundo Gonzagæ Cardinali Mantuano.

REdditæ mihi sunt abs te litteræ, gratæ illæ quidẽ & optatæ, utpote amore illo tuo uerè fraterno Bemb. lib. 4. Pont.

 ple-

plenissimæ: sed tamen quæ mihi uoluptatem illam, quam ex tuis litteris capere soleo, magna ex parte imminutam attulerunt. Significabant enim te in quartanam incidisse. Itaq; pupugit me, ut sanè debuit, incommodum ualetudinis tuæ, quæ mihi curæ est æquè, atque ipsa mea. Hortor autem te, uel potius abs te quæso & peto, ut omnem curam & diligentiam adhibeas, ut quàm celerrimè conualescas: ut integra ualetudine & corpore bene confirmato ad urbem atque ad nos, qui te uidere atque amplecti cupimus reuerti possis: quod tamen efficies commodo tuo. Interea uolo tibi persuadeas, res tuas, eaq; omnia, quæ ad dignitatem tuam pertinent, curæ mihi & cordi fore. Cæterum Franciscum Marchionem Mantuæ fratrem tuum, qui à me unicè diligitur, si saluere iusseris, erit mihi gratum. Datum XVII. Calen. Octob. M.D.XIII. Anno primo. Romæ.

Gulielmo Duci Bauariæ S. P. D.

Saddoletus lib. 4.

NVnciatum est nobis fratrem tibi decessisse ornatissimum, atque nobilissimum: quod mihi auditu sanè quàm molestum fuit. Amaui enim illum semper tecum unà, dignissimumq; illo loco & honore iudicaui. Quod si de tua uirtute & sapientia non eam habere opinionem, quàm certè habeo, aggredere fortasse

tasse aliquid ad te consolandum: exponendisq; rationibus quare tu hunc casum animo æquo ferre deberes, leuare dolorem tuum adniterer. Sed cùm tu aliorum consilijs non indigeas, magisq; ipse ad consilium alijs dandum sis paratus, supersedebo hoc genere orationis. Tantum te hortabor, ut animum illum, illamq; prudentiam, quam in cæteris rebus eximiam præstas, eandem in hac quoque re adhibere meditere: ut omnes homines intelligant, nihil tibi deesse, quò minus & in secundis rebus, & in aduersis par & perfecta undiq; & uirtus sit, & constantia tua. Iterum & sæpius uale. Romæ, XVII. Cal. Augusti. M.D.XLV.

Reginaldo Polo Cardinali S.

Bembus lib. 5. Fam.

DOlebam anteà te à nobis discessisse: cùm tamen esset spes aliquando reuersurum. Nunc autem cùm te Paulus Pont. Max. in amplissimum Cardinalium ordinem legerit: neque posthac his in locis te uidendi facultatem mihi datum iri ullam putem: lætor tamen tuam uirtutem ea dignitate auctam & honestatam fuisse; quam te posse consequi, incredibili Pauli prudentia iudicioq; freti, sperabamus. Qua de re tibi uerè atque magnopere gratulor: utq; perpetuæ solidæq; uoluptati tibi sit iste magistratus, quæso & opto. Ac meum quidem tui absentis desiderium nostræ necessitudinis memoria facilè solabor. Tu uerò

longe ornatior atque illustrior factus, non Italiam modo; sed Britanniam etiam tuam, atque ipsum cœli uerticem tuarum laudum splendore fac impleas. Vale. Tertio Calend. Ianuar. M.D. X X X V I. Patauio.

Marco Antonio Mureto,
Pataulum.

Manutius lib. 3.

F*iliolum meum* Hieronymum *nondum quinquennem,* Aldo *parem ingenio, ualetudine firmiorẽ, mandare* Epidaurum *ad hominem eruditum, meiq́; peramantem,* Paulum Bosium, *cogitabam. ibi moribus, & primis litteris imbuetur. nam ego me ad hæc humilia dimittere nullo modo possim. Quid præterea? nihil scilicet: imò aliquid. Scribe, amabo te, mi* Murete, *ut instituisti, quàm sæpissimè, me hercule, ẽ summis atque assiduis, non modo negotiis, uerum etiã curis, tantum in tuarum epistolarum & suauitate conquiesco. atque etiam, dum ipse ad te scribo, quia te mihi præsentem statuo, mutuumq́; inter nos sermonem fingo, incredibili uoluptate perfundor.* Vale. Venetiis. Hercules *meus, quia festus hodiernus dies est, abest. ideo hæc mea manu, decies interpellatus, exaraui.*

Venetias
Valerio Superchio S.

Bembus li. 3. famil.

D*E tuo in patris mei curanda ualetudine studio, quid tibi agam gratias? quas neque tu exigis; neque*

quę ego ſatis idoneas habeo pro tuis maximis officiis; quæ uoluntatem in eo meam exæquare ullo modo poſſint. Sed tamē ago, eoq́; maiores atque iuſtiores; quod te intellexi ex illius ualetudine æquè ſuſpenſum fuiſſe; ac quenquam meorum. De Patauinis medicis nihil eſt ſane deſideratum: omnia enim propæ diuinæ curationis officia diligentiſſimè præſtiterunt. Itaque cùm patri adſuiſſem octo continuos dies, eo iam conualeſcēte Patauio diſceſſi, equidem non ſine lachrymis. Dij mihi illum ſeruent, patrem optimum & ſuauiſſimū, & mihi mea uita cariorem. Puto nunc ei rectè eſſe. noſtri Principes te ſalutant. Vale. VI. Calend. Decem. M. D. VI. Vrbino.

Nicolao Rodulpho S. R. E. Cardinali S.

NOn ſum oblitus, nec uerò unquam obliuiſcar, quibus me officiis & beneuolentiæ ſignificationibus proſecutus fueris, cùm proximè Romam ueni: quo quidem tempore non prius penè pedem in urbe, quàm in tuis beneficiis poſui. Cura enim potiſſimum ac diligentia tua domum egregiè inſtructam atque ornatam ipſo meo ingreſſu ſtatim ſum nactus. Quæ tua bonitas ac liberalitas altius mihi tum hæſit, quàm ut facile ſit uerbis explicare. Non enim is ſum, qui meū commodum magis, quàm ipſius commodi autorem Sadoletus lib. 14.

 amem.

amem. Fontem enim beneficioru̅ magis specto, quàm ipsa beneficia: qui quidem fons amor est. Eundem igitur in me animum tuum si conseruaueris, Rodulphe humanißime, gratißimo omnium & optatißimo beneficio me affeceris. Sed ne multis, totum me tibi & tuæ fidei beneuolentiæq; dedo atq; commendo. Vale. Idibus Ianuar. M. D. XXXIX. Carpentoracti.

Dionysio Monstroliensi, Patauium.

Manutius lib. 4.

NEque negare audeo tibi homini eruditißimo, cuius ego plurimi semper amicitiam feci, neq;, si pollicear, præstare poßim id, quod à me petis. premor enim domesticis oneribus, & typographiæ cura, sic me hercule, uix ut sustineam. uacuæ tantum ab opere mihi relinquuntur horæ uespertinæ: sed eo tempore, tum defatigatus laboribus, ac fractus, quietem quæro necessariam, tum uerò succedit oculorum dolor, isq; ita grauis, ut non modo legere, aut commentari, sed nec domesticos audire sine magna molestia poßim. ita nobis traducitur dies, atque adeo noctis maior pene pars. non enim prius hac leuamur capitis grauedine, quàm sol, medio iam Antipodum orbe decurso, incipit ad nos recurrere: & in ortu suo demum ualetudinem mihi, alacritatemq; restituit. Vale.

Anto-

Antonio Perrenoto, Episcopo Atrebatensi S.

IAannes Ioachimus Vaulxi dominus perantiquus est amicus meus, & quidem maximè intimus. Eius ego uirtutem & ingenium excellens atque in omni uitæ genere singularem industriam feci semper, facioq; sanè plurimi. Qui cum clarißimi illustrißimiq; uiri patris tui patrocinij magnopere indigeat: peto abs te diligentißime: ut Ioachimi causam, quam cum Imperatore habet, ei commendes: atque ita commendes: ut quod illi multos iam annos à fisco Mediolanensi debetur; consequi aliquando tandem poßit: ne Imperatoris æquitas; quam quidem unam eius uirtutem omnium maximam omnes homines experiuntur, atque in cœlum ferunt; sibi uni semper sit desideranda. Id si feceris; ad tua priora erga me merita magnus cumulus accedet. Vale. Patri tuo multam salutem. Sexto Kalen. Octobres. M. D. XXXIX. Patauio. Bembus lib 6. Famil.

Ambrosio Cathar. Polito S.

NOn potui perferre diutius desiderium tui, quin sciscitarer ex te per litteras, quid ageres rerũ, quod tamen æquius fuerat me cognoscere ex tuis litteris, tuæq; in illis erga me beneuolentiæ habere testimonium: Sadoletus lib. 14.

monium: nec tamen puto me totum tibi ex animo effluxisse. Etsi enim habes patronum eiusmodi, præ cuius ingenio, uirtute, elegantia, nos tibi sordere uideamur: tamen ut ille præstantia & grauitate dignitatis suæ superbum te aduersum nos reddere potuit: sic humanitate idem & comitate, quæ singulari est præditus, docere te debuit, non esse absentium amicorum memoriam deponendam. Sed iam seriò, mi Catharine: cupio uehementer audire quid agas. In studiis te esse arbitror: quod iam aliud tibi est negotium? Veruntamen si mihi aliquando indicasses, quæ tibi opera nunc sint in manibus, ualde mihi rem gratam mediusfidius fecisses. Vale.

Iacobo Grifolo Romam.

Manutius Lib. 5.

L*Itteras, quàm ualde me amas, tam sæpè mittes, nam & otij puto te habere, quantum uelis, & argumentum* Romæ *uiuenti deesse non potest, mihi utrunque minus est. magnis enim districtus occupationibus, temporis ad scribendum non habeo satis: argumentum autem unde sumam, cum omnium, qui hic sumus, ea ratio sit, ut rerum nouarum, si quid alicundè ad nos affluxit, de eo nec scribere, nec loqui sine graui periculo poscimus?* Relinquitur, *ut priuatis de rebus poßim scribere. sed hoc quoque genus uereor ne me*

defi-

deficiat. raro enim solet accidere, quod scriptione dignum sit. Quopropter, quoties ita eueniet, ut à negotiis liceat discedere, properabo statim ad Epistolas, quod eo libentius faciam, si tu mihi sententiam scribendi aliquam dabis: sin minus, inanes tamen potius, quàm nullas, mittam. Vale. Venetiis.

Michaëli Turriano, Cenetensi Episcopo, Cenetam.

ANgebar animi, nec fieri quicquam posse me uno miserius opinabar: ita multa hoc anno præter expectationē, prorsus aduersa meis rationibus, obtigerant: fratris primum amantißimi, deinde filioli suauißimi interitus, uxoris morbus, inualetudo mea, rei familiaris incommoda, quàm facilè, nullo pene strepitu, rerum mearum conuersus orbis est. de fratre, & filio iam fero moderatius, uel quod, ut solet, medetur dies, uel quia, quod æterna lege Deus constituit, id abrogare uelle non solum iniustitiæ, uerum etiam imprudentiæ, uidetur esse. uxor conualuit: ego satis firmus, domestica uerò damna, quæ sarciri uix unquam arbitrabar posse, facile compensat amor in me tuus, cuius mihi recordatio molestias omnes diluit. Vale. Venetiis. Manutius lib. 4.

Reginaldo Polo S.

Etsi

Christoph. Longolius lib.4. Epist.

ETsi summis totius corporis doloribus oppressus, dubia spe uitæ spiritum miserè duco, fecit tamen summum meum & perpetuum de te iudicium, ut hos cruciatus nescio quo modo frangerem, dum supremo hoc litterarum munere ad te perfungor. Nam postridie, quàm ad te scripsi, sæuissima me febris arripuit, quæ ita me hoc triduum torsit, ut nihil unquàm acerbius in uita sim perpessus: scilicet quasi diuinarem ita futurum, uolui quemadmodum tibi proficiscenti ostenderam, ut bibliotheca mea omnis tibi obueniret, si quid mihi in ea, quam adornabam, peregrinatione accidisset. Verum ut uides, propius erat, quàm arbitraremur summus ille noster dies. Peto igitur abs te per amicitiam nostram, quam ad summum peruenisse existimo, ut mortuo mihi memoriam beneuolentiamq;, quam necessitudo nostra postulat, humaniter ac piè præstes. Da operam ut ualeas: & Paccæo meis uerbis salutem impertias plurimam. Vale. Patauij. VIII. Calen. Septemb. cum die ab hoc decimo ex hac vita decederet. Anno Domini, M. D. XXII. ętatis suę, Anno XXXIIII.

Patauium.
Petro Barotio Episcopo
Patauino S.

Bembus lib. 2. Fam.

PEto à te; ne me putes obliuione tui, rarius ad te scribere, quàm sim solitus. Qui enim fieri potest, ut,

ut, (qui etiam illorum bene memini, quibus paulum debeo) tui, cui omnia debeo, mihi memoriam subripiat, aut tempus ullum, aut ullus casus? Sed (ita me dij ament) tam multa me negotia undique, tam crebræ undæ rerum, hoc in Prodominatu, propter eum, qui nondum deferbuit, tumultum bellorum circunsepiunt; ut, plane mihi, neq; punctum quidem ullum temporis uacuum à reip. muneribus concedatur. Cæterum, quoniam mea multum interest, habere me rerũ Patauinarum historias; te etiam atq; etiã rogo; ut, si tu eas habes, des Vanotio meo mihi mittendas; si non habes, et scis ubi sint, mandes alicui tuorum, ut mihi eas quærat tantisper, quo ad perlegam. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale. Quarto Non. Febr. MIID. Ferraria.

Andreæ Duditio Patauium.

OPtime Duditi, quid tibi, obsecro, in mentem uenit? nostra ne imagine tuum putas cubiculum ornari posse. pudet me studij tui: & erubui, mihi crede, cùm hanc partem legerem litterarum tuarum. nec tamen, quia tuam facilè cupiditatem intelligo, deesse tibi poßim, & cœpta res est, & agitur, ut uideo, satis diligenter: quæ cùm erit absoluta, mittetur ilicò ad te. ac uellem, posset artifex eodem penicillo animum in te meum unà cũ uultu exprimere: nõ dubitarem. Manutius lib. 4.

rem, quin hanc tu multo magis imaginem diligeres. non necesse est, inquies, libenter credo: & quod ita sit, acceptum refero tuae humanitati, quae mihi à te impetrat id, quod meritis, aut officiis consequi nondum potui. His diebus facultatem ad te scribendi permolestae occupationes eripuerunt. ignosce: & puta, nunquam abduci meam ab officio uoluntatem, licet opera non extet. Vale.

Bononiam.
Andreae Alciato Iureconsulto S.

Bemb. li. 6. GRatulatio de Cardinalatu meo tua ualde mihi grata & iocunda accidit. Tametsi tu in recensendis tuae laetitiae causis, longius proueheris; quàm à me anosci posit te non decipi. Sed est eiusmodi lapsus non perferendus modo; uerum etiam amplectendus. Amoris enim abundantia prouenit: quae quò maior est; eo minus rectè indicat. Amore autem nihil est homini datum suauius, nihil fructuosius. Itaque de officio isto tuo elegantissimisq; tuis atque humanissimis litteris ualde me hercule te amo. Mea uerò haec, de qua laetaris, dignitas erit mihi etiam iocundior: si in te ornando afferre aliquid poterit; quo meus erga te amor cum tibi, tum reliquis hominibus esse notior atque testatior posit. Quanquam ea tua excellens praeclaraq; doctrina, ea sunt tuae plurimae praestantissimaeq;

ſimæq; uirtutes; ut alienæ opis minimè omnium egeas. Vale. Decimo Kalen. Maias. M. D. XXXIX.

Laurentio Gambaræ, Patauium.

BAſilij Zanchij, poetæ ſummi, hominiſq; non uulgariter eruditi, miſerabilis, & indigniſſimus interitus hilaritatem mihi prorſus omnem eripuit. quẽ enim donare ſummis premijs ob excellentem uirtutem, decorare honoribus ob ſingularem integritatẽ, atq; innocentiam æquum fuit, eum tam ignominioſè uexatum, tam acerbe, tam crudeliter extinctum, quis non ferat iniquiſſimè? equidem, ut audiui, etiam dolore tuo maximopere dolui. nam & uixiſtis unà ſemper coniunctiſſimè, alter alteri egregiè carus: & fuit uterq; ueſtrum ad poeticam facultatem natura propenſus, ac mirè factus, ingenio uerò ita pares, ut cùm nemo tam bonus poeta ſit, quin uobis primas in componendis uerſibus partes tribuat. quam confeſſionem etiam ab inuitis exprimit poematum comparatio: uter tamen utri præſtet, nondum ſatis iudicare quiſquam poſſit. Vale. Venetijs. Manutius libro. 4.

Leo X. Hadriano Epiſcopo Dertuſenſi, (In Pontif. ſucceſſori.

QVod tuis ad me perhumaniter ſcriptis litteris ſignificauiſti, moleſtiſſimam tibi fuiſſe eorum Bemb. lib. 15. Pontifi.

hominum audaciam, qui aperto bello in reip. loca inuadere, eaq; diripere sunt aggreßi: de eo etiam legatorum meorum litteris fiebam certior. Equidem ualde consolor, cùm te hominem & prudentem & grauem, & magna apud Carolum regem auctoritate non æquißimo animo ferre sentio hanc indignitatem mederiq; cupere Reipub. uulneri, non illi quidem magno aut introrsum adacto, sed tamen uulneri, quod sanari sine Regis tui curatione prope non potest. Itaq; cùm te de tuo in Remp. optimo amantißimoq; animo, quẽ & mihi & meis interpretibus ostendisti, uehementer laudo: tum hortor, ut quod laudabiliter cœpisti suadere Regi, ut nobis suppetias ferat, idem insistas pergasq; tandiu facere, dum audacißimi hostes nostri suarum impreßionũ pœnas luant. Totam igitur reipub. causam, uel ipsam potius remp. tibi commendo maiorem in modum. Dat. XII. Cal. April. M.D. XVII. Anno V. Romæ.

Dionysio Cardinali S. Marcelli S.

Sadoletus lib. 13.

CONtigit mihi in te, quod haud scio an nemini, ut cum te luxissem mortuum, repentè nec opinatò nuntio tuæ salutis & incolumitatis, ex summo dolore ad summam lætitiam traducerer. Sic enim fuerat ad me scriptum, te contracto in Hetruria morbo, in oppido Luca opinor, grauiter ægrotum, delatum Florentiam

rentiam, post aliquantũ temporis diem extremum tuum obijsse: quæ res animum meum ualde perturbarat. Nam cùm propter insignem beneuolentiã, qua te sum complexus, & quæ est cùm amicitiæ nostræ, tum tuis uirtutibus debita: tum uerò etiam, quòd breui tempore post meum à uobis digressum, multis ex nostro ordine clarißimis uiris, eijsdemq; mihi amicißimis, & me, & remp. fortuna spoliarat: mihi tua mors cumulum maximum attulisset doloris, nisi meliora Deus de utroq; nostrum constituens, et tibi salutem, nobis quidem peroptatam, reddidisset: & mihi molestiã ac mœrorem abstersisset. Cui quidem Deo omnipotenti & immortali maximas (uti debeo) & meritas gratias ago. Vale.

Octauiano Ferrario, Mediolanum.

Κακοςόμαχοι sumus, & cruditate laboramus: id quidẽ à pueritia: sed auxit uitium aßiduus litterarum usus: quo adempto, quæ nobis, qui uulgaria contemnimus, delectatio, uel potius quæ uita superest? quare ignosce, si mihi nõ impero: quod ne tu quidẽ, opinor, facias. quæsitũ inter medicos est, ecquid adiumenti aquæ sulphureæ potus afferre posset. uariè sentiẽtibus, recusaui, ne, quod aiũt, de sorte etiã in dubiũ uenirẽ. de gutta capiti instillãda sermo fuit: ne hoc quidẽ placuit, ne memoriã periclitarer. uentũ deniq; ad uictus rationem, præbui me facillimum, quidquid uellent. Manutius lib. 5.

 in pri-

in primis radicem probarunt, quæ irios uocatur: quā condiri apud uos egregiè fertur: eam igitur, quod tuo commodo fiat, uelim perquiras, inuentamq; & mediocri uasculo diligenter inclusam, cures aliqua ratione perferendam. quidquid erogaueris, bona fide, cui uoles, numerabitur. Vale. Patauij.

Leo. X. Carolo Hispanie Regi.

Bemb. lib. 16. Pont.

GRatißimus mihi nuntius is fuit, qui te Morinorum è littoribus in Hispaniam transmittentem idonea tempestate soluisse me certiorem fecit. Confido enim te iam traiecisse: atque in tua illa regna, quæ te diu uidere concupiuerunt, saluum sospitemq; peruenisse. Quibus à Regnis multa tibi, multa Reip. Christianæ utilia spero fore. Itaque ea de nauigatione tua, si modo recte confecta est, ualde lætor: quemadmodum de legatis meis cognosces: qui tibi meis uerbis plurimam salutem dicent. Ii tibi etiam significabunt me bellum id, quod Franciscus Maria mihi Reiquepu. intulerat, sedauisse. Quod eo libentius feci, ut sumendo in Turcas bello dare operam aliquando mihi liceat. Quam ad rem te hortor, cogitationes omnes conuertas tuas: ut communi consilio & cura agere iuuareq; Remp. poßimus. Non. Nouemb. Anno quinto. Romæ.

Ioan.

Ioan. Toletano Episcopo Burgensi. S. R. E. Card. S.

Longum interuallum est, cum litteras ad te dedi nullas. Quod accidit, non remißione obseruantiæ in te meæ, nec obliuione uirtutis, & humanitatis, & beneuolentiæ erga me tuæ: sed quia multis & molestißimis occupationibus impeditus, fratris etiam mei mihi charißimi morte, qua grauiter affectus sum, omnes meas curas ad luctum mœroremq; reuocante, alia quoque officia permulta deserere coactus sum. Nunc cum tempus uenerit, quo tempore, si alias unquam, tua mihi & beneuolentia & auctoritate maxime sit opus: fretus tua uirtute & bonitate, causam omnem meam tibi in primis exponendam commendandamq; putaui. Pontifex maximus me per litteras ad urbem uocat: quod ego facturus sim libenter, uocantiq; obtemperaturus, si mihi id per meas rei familiaris angustias, & maximas difficultates facere liceat: eaq; habeam facultatum subsidia, quibus & itineris sumptum, & urbanas illas impensas sustinere possim. Vale. Carpentoracti. XIIII. Calend. Februarij. M.D.XLV. Sadoletus lib. 5.

Caterinæ Landæ S.

Valde me tuæ litteræ delectarunt: eoq; magis, quod mihi præter spem accidit abs te puella Bemb. li. 6. Famil.

tantulæ ætatis latino sermone & quidem probo & eleganti scriptas litteras accepisse. Itaq; ad reliquas causas, quæ te mihi carißimam faciunt, plurimas illas quidem atq; maximas, hac etiam addita, quod te optimis artibus deditam uideo: nihil iam est, quod ad meum erga te amorem addi posse uideatur. Quamobrem erit mihi planè gratißimū; si una cum tuis parentibus ad me uerè initio ueneris: ut te uidere et colloqui poßim: cuius rei non minimam mihi spem tuæ ipsæ litteræ attulerunt. Augustinum fratrem tuum quod mihi commēdas; facis ex amore fraterno uestro. Sed nihil ei erat tua commendatione opus; quem ipse filij loco habeo. Patri tuo, & matri plurimam salutē dicito. Sed patri uelim etiam suauium des. Quod si grauare facere; illum meo nomine rogabis, ut tibi det. Vale. Septimo Kalend. Decemb. M. D. XXVI. Patauio.

Paulo Sadoleto S.

Sadoletus lib. 17.

RECordor in mandatis hoc tibi à me uel præcipuū fuisse datum, ut magistrum huic iuuentuti erudiendæ quæreres. In quo te obtestor Paule, ut laboris et diligentiæ reliquum nihil facias, quò nostri optati cōpotes nos efficiamur. Nihil est hac curatione neq; honestius nobis, nec ciuibus nostris utilius. Quorum quidem causa cùm cupiamus omnia, cur non in hoc potißimum officij honestißimo genere, omnibus neruis contendamus, ut & illis, & nobis ipsis satisfiat?

Antea

Antea castigare illos solebamus, quòd ad suum tantum bonum minus essent attenti: nunc uicißim illi me appellant, atq; urgent: neq; dies ferè ullus est, quin ad me accedant eorum aliqui rogatum. Quibus respondeo, tibi susceptam esse hanc prouinciam: neque te quieturum, quoad idoneum repereris: cum hac spe dimitto illos. Et si quaeris, maximo eos studio in hac referri uideo. Proinde enitere atq; elabora, ut talem aliquem inuenias, qualem nos cupere nosti, hoc mihi gratius facere nil potes. Vale mi Paule. VI. Calend. Octobris. M.D.XXXV. Carpentoracti.

Patauium.
Torquato Bembo filio. S.

EQuum quem tibi pollicitus fueram me missurum, Ioanni Caroli nostri familiari ad te Patauium perducendum dedi. Eo te perbelle usurum puto. Dedi etiam horologiolum in Gallia transalpina confectum, & quidem eiusmodi; ut uel noctu, & sine luminibus, quota hora sit, poßis ab eo summi tactu digiti fieri certior. Moneo autem, ne eo uti incipias; nisi ab eius artis magistris, quo id pacto recte fiat, prius edoceare. Parua enim culpa omnis illa motuum & rotarum temperatio perturbatur. Hocq; me unum disces: neruus ut is; cuius unius ui reliqua omnia conuoluuntur, suamq; uicem faciunt; bis à te in die intendatur; ante prandium semel, antè Bembus lib 6. Famil.

 quam

quam dormitum eas iterum. Quod te hac hyeme intelligo nouasse operam bonis artibus satis diligenter; ualde gaudeo: atque ut in eo constes, te hortor. Colle, Federico, Bonfadio doctoribus tuis multam salutem. In prostemis tuis litteris dies asscripta non erat. Vale. Pridie Kal. Februarias. M. D. XLII. Romæ.

Mario Corrado, Brundisium.

Manutius. lib. 2.

DEbeo tibi, mi Corrade, tot iam nominibus, prorsus ut iam non uideam, qui soluendo esse poßim. scripsisti ad me sæpè: tantum ne? sunt alia; humanißimè, elegantißimè: laudes in me contulisti eas, quas si agnoscam, ipse me nimium uidear amare. tibi tamen habeo gratias de ista tam liberali, tamq; erga me prolixa uoluntate, eamq;, si gratus, id est, si uir bonus esse uolo, ut certe uolo, puto mihi esse inter summa beneficia collocandam. Itaque cum te nunquam uiderim, fero tamen in oculis; &, quanquam habeas, qui te talem diligant, quos necesse est esse quam plurimos: ego tamen primas in amore partes appeto, secundis non libenter acquiesco. non soleo blandus esse, nec auribus dare, quod negari poßit ueritati: quare uelim mihi credas affirmanti, neminem me tibi Latina in oratione anteponere, conferre paucos. Hoc ego ita iudico: nec tu meum iudicium in dubim reuocare

debes.

debes, cum mihi iam in epistolis tuis tantum in hoc genere tribueris. Vale. Venetijs.

Iacob Sadoleto S.

ACcipio excusationem tuam de intermissione litterarum: non tàm quidem necessariam; quàm & prudenter, amicissimeq; scriptam, & mihi magnopere iocundam, & gratam. Nam neque ego eram nescius, in uera, & rectè ab initio constituta, & plurimis, maximisq; officijs confirmata, ac iam inueterata beneuolentia (qualem esse nostram ferè possumus dicere) non multum requiri, quantum quisque calamo, & papiro utatur: neque tuis eras; à quo, creberrimæ litterarum missiones expectarentur: cum, quia ipse otio non abundas; quem quidem scio, omne tuum tempus in optimarum artium studijs insumere, etiam nòn sine incommodo ualetudinis tuæ; tum propterea, quod ij, qui te amant, propter morum tuorum elegantiam, præstantissimasque uirtutes, atque doctrinam, satis uberem se ex te capere fructum debent existimare, abs te si amantur; eosq; tu, item grata, atque mutua animi charitate prosequare. Vale. Tertio Nonas Maias. M. D. VI. Venetijs. Bemb. li. 3. Famil.

Andreæ Duditio, Patauium.

AMo te quod uerecunde petis: sed istam posthac uerecundiam abijce, obsecro, si quid aliquando Manu. li. 4.

mecum ages. nescis, apud me quo loco sis, aut quo ego apud te esse cupiam: quod si nescis, aut etiã si dubitas, iniuriam facis utriq; nostrum. Scripsi ad Sophianum libenter equidem tua caussa, sed inuitus ea gratia, quòd laborantem, ut audio, graui morbo, uexari tuo studio nollem. Equidem discrucior, cum ita affectum audio probum iuuenem, mihi amicißimum, græcarum litterarum scientia sine dubio singularem. sed quia te fero in oculis, idq; me hercule tuo merito, litteras ad eum conscripsi, quas in hunc fasciculum coniectas cũ legeris, si reddendas non putabis, conscindes. Ego nunc, si quid de me scire uis, iaceo, corpore satis afflictus ob capitis grauedinẽ, sed erectus animo propter spem, atq; adeo exspectationẽ uitæ lætioris. iam enim didici contemnere, quæ amabam antea: qua te quoq; in sententia cupio esse. Saluta meo nomine contubernales, & amicos tuos. Vale.

Erasmo Roterodamo S.

Bembus lib.6. Fam.

AMabam antea Vigilium: erat enim mihi & notus ipse per sese, cum ad me aliquoties uenisset; eiusq; mirificam indolem & sermonis suauitatem eleganti amq; perspexissem; & Georgij Logi testimonio, qui mecum est frequens, gratus me hercule & probatus. Nunc uero tua commendatione tuisq; litteris multo mihi carior est factus: magnusq; amoris cumulus ad pristinam meam in illum beneuolentiam accesit. Quod eum scire uolue: meq; totum ei obtuli: ut si

ut si

ut si aliqua in re iuuare eum possem; suo me iure uteretur. Tibi uerò etiam gratias habeo: quod quando tu me diligis, & ego te summopere amo; cures desq; operam; ut communes etiam inter nos amicos necessariosq; nostros habeamus. De Rodolpho Agricola quod scribis, notum illum nobis esse te existimare: illius uero scripta maxime omnium; qui ætate nostra uixerint; mihi quidem probantur. Si Viglius eiusmodi erit scriptor; omne punctum feret. Eum ego, tametsi in cursu est; tamen ad summam laudem, ut ipse mones, incitare non desinam, Vale. IIII. Kalen. Septembris. M. D. XXXII. Patauio.

Romulo Amasæo S.

NOn erat opus mecum tot uti excusationibus: non enim unquam dubitaui, quin tu me diligeres. Sed tamen in te quodammodo excusando cum adhibuisti non mediocrem diligentiam, simul & illud, quanti tu me faceres, ostendisti. Quo ego tuo uel de me iudicio, uel erga me animo mirifice delector. Virtutē tuam, quam amabam: & excellens ingenium, quo es præditus, totū expressum uidi in tuis litteris. quibus nihil elegātius nec eruditius legi à me potuit. Omnino egregiè sustines nomē, quod adeptus es. De quo tibi nō minus gratulor, quàm tu honori meo es gratulatus. Cui ego honori utinā par esse poßim, ut ne obruar expectatione corū, qui magna à me postulant, et maiora quidem

Sadoletus lib. 10.

quidem, quàm queam præstare. Sed in hoc misericors Deus nos adiuuerit. Ego te diligo Romule, & de tuis uirtutibus honestissimè sentio: meq; uicissim cupio à te amari, paratus, si quid forte uti opera mea uolueris, ea tibi præstare, quæ ab amicissimo homine iure expectanda sunt. Pompiliũ tuum hic sæpe uideo, eiusque probitate, & ingenio, ac in me ipsum obseruantia summopere delector. Vale. Romæ.

Mario Nicolio, Parmam.

Manutius libro. 2

TE uero optime ac doctissime Mari, cuius consuetudine & sermone careo multis abhinc annis, quem mihi tamen ex animo nunquam eripuit neq; tempus, neq; longinquitas, quo studio complectare quantam hauriam, cum præsens præsentem alloquar, uoluptatem? dilexi equidem à quo primum die te cognoui, tuos mores, tuam naturæ comitatem, ac suauitatem: doctrinam uerò, ingenium, industriam suspexi semper, extulique laudibus ad cælum: nec iniuria. nam si, Romanæ linguæ studium colere, & illustrare, laus est: quis hoc te uno aut curauit studiosius ætate nostra, aut cumulatius præstitit? ego ipse, quẽ tu esse aliquid uis in hac latinè scribendi facultate, in quo uereor, ne te fallat amor: nam iudicium in dubium uocare non debeo: sed, si quid sum, quadã ex parte de

te de tuo fonte fluxi. thesauros enim Ciceronis omnes, in illo praeclaro tuarum obseruationũ libro congestos, reperi, & usus sum facilè: quos colligere dispersos, immensi laboris fuisset, ac temporis. Laudas igitur beneficium tuum, cum me laudas, & quodam modo praemia capis meritorum tuorum. Vale. Asulae.

Leandro Allesio Iureconf. S.

Bemb. lib. 3. Famil.

CVm tuum officium, quod in meo grauißimo casu adhibuisti, consolandi mei mihi gratißimum fuit: perspexit enim ex tuis litteris, & doloris, quem ex mea aegritudine capiebas, signa illustria: et amoris erga te mei. tum ea, quae scribis; quoniam ad meum uulnus sanandum inueniri nulla remedia possunt; ad molliendum eius uulneris dolorem certe quidem plurimum ualuerunt. Nam neque, ut ipse non angar, doleamq; Carolum fratrem meum, optimum lectißimumq; adolescentem, & mei amantißimum; quem quidem erat aequius, uti post me introierat in uitam, sic post etiam exire de uita, ereptum mihi esse, in primo iuuentutis suae limine, ulla unquam efficiet dies. Et tu ea collegisti, cum facta, tum dicta sapientum uirorum; quibus interdum cogar aliquantum acquiescere; admonearq;, ut feram moderatius solitudinem

aerumnamq;

ærumnamq́; meam. Itaq; eas tibi habeo gratias; quas habere potest is; qui fortunæ acerbißima iniuria, magna de spe deq́; omni suæ uitæ dulcedine, atq; solatio deiectus, in maximo mœrore luctuq; uersatur. Vale. XIIII. Kalen. Febr. M. D. IIII. Venetijs.

Hieronymo Vidæ Albæ Episcopo S.

Sadoletus lib. 10.

GRatißimæ mihi fuerunt littere tuæ: quæ & ueteris nostræ amicitiæ memoriam mihi renouauerunt, & declararunt, in te non parum adhuc amoris erga me ipsum residere: quo mihi nihil optatius neq; iucundius accidere potuit. Nam cum te semper ingenij & uirtutis tuæ causa plurimum dilexi: tum uero optaui uicißim diligi à te. Id recte existimans, coniunctionem tecum meam mihi magno honori semper fore; quod tuum de quoque homine iudicium in utramq; partem magnam uim haberet: neq; solum impræsentia honorificum existeret, sed illucesceret in omnem etiam posteritatem. Quanquã hæc quæ notissima sunt, noua commemoratione mea non indigent. Sed de his satis. Ego te doctißime Vida, & amaui semper, ut paulo ante dictum est, & tuo præstantißimo ingenio, eximiæq́; doctrinæ plurimum tribui. In qua etiam nunc & opinione eadem sum, & uoluntate. Tibiq́; hoc de me persuasum esse uolo, si quem mihi aliquando locum tibi gratificandi dederis, magno me

abs

abs te affectum beneficio esse arbitraturum. Tu ut ualeas, & me ut diligas, magnopere à te peto. III. Idus Februarij. Romæ.

Patauium.

Andreæ Triuisano S.

QVo minus expectabam tuas hoc tempore litteras; eo mihi eæ, quas ad me Patauio dedisti, plenæ officij amabilesq; litteræ, & iucundiores & suauiores fuerunt. Valde enim cupio, & amari me abs te, & mei memoriam apud te uigere: quod quidem utrunq; procedere præclarè ostendisti. Itaq; uelim existimes nihil mihi aptatius accidere potuisse tuis litteris; præsertim cum otio non abundes. Scio enim quantis occupationibus implicere, propter præturã uiri amplißimi patris tui, cuius magnam partem ipse sustines. Quod scribis mulieres nostras ualere, aduentumq; meum ab ijs mirabiliter expectari; mihi est gratum. Ego uerò ad uos etiam libentius redibo, sedatis sublatisq; non solum bellis; quæ quidem diutius, quàm oportebat, uiguerunt: Sed etiã bellorũ suspitionibus: quibus torquebamur, pace ista, de qua commemoras, confecta: fœdereq; initio multa cum auctorum sociorumq; fœderis uoluptate. Sed de his cum una erimus: quod breui futurum puto. Reliquis de rebus scio te litteras à me non expectare. Patri tuo & matri multam salutem; itemq; Cæciliæ & Morosinæ. Vale. Idibus Ianuarij. M. D. XXX. Bononia. Bembus lib. 6. Fa.

Germa-

Germano Brixio S.

Sadoletus libro 4.

ET litteræ tuæ, id quod alias quoque conquestus sum, tardißimè ad me perlatæ fuerunt: (datæ enim prid. Idus Feb. post Nonas Aprilis deniq; mihi sunt redditæ.) Et ego quò minus ad eas continuo respondrem, ualetudine fui aduersa impeditus. Scito enim ne octauum iam mensem pituita usq; eo laborare, ut & odoratum penitus, & uim etiam gustandi aliqua ex parte amiserim. Qui morbus hyemis tempore lentior, eoq; magis tollerabilis: quod humoribus pigrè & segniter se mouentibus, sensum in nobis mali obtusiorem aliquantò facit. Vere nouo excitatur, & ad nocendum, corpori acuitur. Itaq; & febricula aliquod diebus tentatus sum, & nunc capite frequenter languéo: non tam dolore quidem, quam grauedine quadam occupatus atq; pressus. Sed mihi multis adhuc frustra remedijs adhibitis, recuperandæ ualetudinis spes, secundum Deum, reliqua est in appropinquantis caloris aduētu. Quæ si nos fefellerit, feremus humaniter, omneq; Dei omnipotentis de nobis ipsis decretum in partem optimam accipiemus. Illud utiq; præstabitur à nobis, ut ne qua culpa nostra morbus uim ad lædendum, incrementumúe accipiat. Habes causam meæ tarditatis, Vale. Carpentoracti.

Leo. X. Antonio Abbati S. Bertini.

Voluptas

Voluptas quam ex eo, quod Pontifex Max. declaratus sum, accepisse te mirificam atq; incredibilem scribis, & si ea nihil mihi noui attulit: amoris enim erga me tui abundantiã dudum cognitã atq; perspectã habeo: mihi tamẽ sanè gratißima iucũdißimaq; accidit. Visus enim mihi ipse sum, dum tuas litteras legerem, illo ipso tuo uultu, atque conspectu suauißimo & liberalißimo perfrui, quo me olim per Germaniam atque ista per loca iter facientem amantißimè suscepisti. Itaque mihi in memoriam reuocasti eos ipsos dies, quos unà fuimus: qui quidem tamen dies nunquam ex animo meo exciderunt. Quamobrem scire te plane uolo, & amari te à me unicè, charißimumq; mihi esse, ac semper fore: & si unquam occasio dabitur uidendi tui, quod sine tuo incommodo posse fieri sane peruelim, id mihi non minori uoluptati fore, quàm si meorum quempiam mihi sanguine coniunctißimum usu & consuetudine optatißimum longo non uisum tempore conueniendi amplectendiq; potestas fieret. Quo fit, ut ijs quæ scribis, teneri te scilicet incredibili desiderio uidendi mei, facile fidem adhibeam. Reliquum est, ut si quid erit, quod impetrare à me uel tibi cupias, uel tuis, scribas id ad nos certa cum spe, nihil te frustra petiturum. Vale. Dat. VII. Idus. Sept. Anno primo. Romæ. Bemb. lib. 4. Pontifi.

Mariano Castell. S.

D. Longolius lib. 2.

FLaminium ex tuis literis equidē accusare possum negligentiæ, quod nihil unquam ad te de me: sed eum nihil ominus à me commendatum uelim habeas. Dignus est adolescens, quem omni tua humanitate liberalitateque complectare. Vsus es tu quidem aliquando summa in eum benignitate, sed tum cum non tam necesse esset, quam nunc est, nec ipse in tantam doctrinæ spem adhuc ingressus. Caue enim putes quicquam ei istic esse, aut iam multis etiam seculis fuisse, simile uel ingenio, uel industria, uel probitate, uel etiam grauitate. Equidem sic de eo pronunciare soleo, ut dicam neque natura benigniore quenquam hodie uti, neque cum fortuna duriore conflictari. Quare cum id ei cumulatißimè adsit, quod nullius beneficio assequi poßit, id autem omnino absit, quod tu & cumulatißime præstare potes: ne commissum uelis mi Marianæ, ut tantæ spei, tantæ uirtutis adolescenti, & quod constat, propinquo tuo, tū deniq; defuisse uideare, cum ad summam eruditionem dignitatemq; pleno gradu contenderet. Perueniet enim quò tendit, & si tu paululum modò adiuueris, maiorum nostrorum gloriæ dignum se præbebit. Hoc ut facias, uel mea, uel ipsius adolescentis, uel etiam honoris tui causa, te tam rogo, quàm tibi nominis. Romani dignitatem curæ & esse & semper fuisse certo scio. Vale. Patauij. Calend Mart.

Iacobo Sadoleto, Romam.

Ego

EGo uero perlectis literis tuis; quibus tu deside- rium, uel potius auiditatem meam legendi, iam aliquid abs te cumulatè, atque amantißimè leniisti; etiam effigiem amoris erga me tui, omnibus prorsus officij, beneuolentiæ, humanitatis, pietatis luminibus expressam, ac perpolitam, in illis agnoscens, non sum admiratus. Nihil enim mihi magis exploratum est, quàm me abs te amari, uel, antiquam illã nostram consuetudinem, ac pene conuictum, cum Ferrariæ Leonicenum audiebamus, uel, postremò cum Romam uenissem, recens tuum in me, atque meis ornandis studium, diligentiamq; repetenti: quod quidem ipsum sedulo facio; Itaque, si mihi unquam eius rei occasio dabitur (quæ profecto dabitur) efficiam sanè, ut quoniam, quanti ego semper fecerim perspicacißimum illud ingenij tui acumen, ad omnes bonas artes capessendas, quibus te à puero tradidisti, cum per sese, tum usu atque exercitatione incitatißimum, coniunctum cum suauißimis moribus, admirabiliq; lenitate uitæ, ipse perspicere potuisti; etiam quantum tibi debere me existimem, aliquando cognoscas; uel potius, ut omnes homines utrumque, & te mihi esse charißimum, propter egregias uirtutes tuas, & propter ea quæ dixi, officia, me tibi esse deuinctißimum intelligant; cura ut ualeas. VI. Kal. April. M.D.IIII. è Strotiano.

Bemb. li. 3. Famil.

Antonio Rolando, Patauium.

Manutius libro 10. p. velt.

ADhuc languebam ex uetere morbo; & filio non leuiter ægrotante, eram sanè perturbatior: cõmittere tamen nolui, ut Epistole tuæ, nihil omnino responderem. Quod petis, ut orationem tuam corrigam: Primum id quidem necesse non est: cum scriptor sis luculentus, iudicioque excellas: deinde uero tantum ab re mea mihi otij non est, aliena ut possim legere: aut enim non uaco: aut, si quid temporis conceditur, ad ea, quæ inchoata, rudiaq; iam pridem habeo, absoluenda, & perpolienda totũ confero; Quare à te peto, ut habeas rationem & ualetudinis, & occupationis meæ. Ego postquàm in patriam reuerti, negotiorum magnitudine defatigatus, ætate etiam admonitus, mihi & Musis duntaxat uiuere constitui. nullas suscipio curas, nisi quas rerum domesticarum necessitas imponit. nouas amicitias non expeto: ueteribus colendis operam non do; cum uxore liberisq; suauissimam uitam duco. Hic enim dies, ut ille ait, alios mores, aliam uitam postulat; amicorum copia, quid præter molestiam habeat, non uideo: si quis aliter sentit, arbitratu ipse suo uiuat: ego malo mihi sapere quam alijs. Vale. Venetijs. X. Kalend. Ianuarij. M.D.LXX.

Herculi II. Duci
Ferrariæ S.

Sadoletus lib. 10.

QVoniam habeo te inter eos, quos mihi eximiè semper colendos, obseruandosq; proposui: ideo

ideo putaui mihi faciendum esse, ut ad te mea manu scriberem, nunciaremq; id quod mihi contigit. Heri enim nihil cogitans, ac ne cupiens quidem, sed præter omnem opinionem meam creatus sum Cardinalis. Cuius honoris magnum onus & splendidum, meis tamen humeris per quam graue est: non enim uidetur meæ fortunæ tenuitas id posse perferre. Sed tamen feram ut potero: & si copijs opibusq; deficiar, in eo elaborabo, ut fide, integritate, amoreq; in Remp. muneri meo satisfaciam. tibi uero præstantissime Dux, cuius nomini clarissimæq; familiæ iampridem ualde deditus sum, ita mea studia officiaq; polliceor ac defero, ut tibi cupiã persuasum esse, ea tibi inprimis præsto semper fore: neque eorum nemini qui te amant & colunt, quorum pro amplitudine & nobilitate tua, magna copia est, nunquam concessurum: semperq; ea libentissime facturum, quæ honori tibi & ornamento esse possunt. Sed hæc, cum usus uenerit, re magis præstabo, quam uerbis. Tu ut me diligas habeasq; in numero tuorum, uehementer à te peto. Vale. Ex Vrb. X. Kal. Ian. M. D. XXXVI.

Marcello Ceruino Cardinali. S.

ET si pro tuis erga me pro meritis putem te etiam sine mearum litterarum testificatione existimaturum magnam me lætitiam de tua dignitate cepisse: Bemb. lib. 6. Famil.

Statui tamen esse mihi faciendum, ut tibi per literas gratularer. Caue enim putes ullum mihi diem, postea quam Romæ sum, illo die, quo te Paulus Pont. Max. Cardinalem creauit, gratiorem aut iucundiorem illuxisse. Valde enim confido fore; ut singularis tua & eximia probitas ingenij præstantia, uitæ constantia, iudicium, plurimæ tuæ maximæq; uirtutes magnam sint auctoritatem Christianæ Reip. & huic sanctæ Sedi allaturæ; magno illis usui & ornamento futuræ.

Quare non tibi uni de eo tantum gratulor: sed & ijs publicis quas commemoraui rebus, & nostro in primis ordini, quem tua præsentia honestabis; ac ipsi mihi: qui de tua tam illustri honoris & dignitatis accessione triumpho & gaudeo. Reliquum est; ut me, ut soles, ames: Alexandrumq; Farnesium Cardinalem & Legatum patronum & propugnatorem meum saluere plurimum iubeas meis uerbis. Curesq; ut uterque uestrum è peregrinatione ista tam longinqua bene procuratis rebus saluus sospesque ad nos atque ad urbem reuertatur. Vale. Nono Kalen. Ianuarias.

M. D. XXXIX.

Roma.

LIBER

LIBER SECVNdus.

Leo X. Carolo Hispaniæ. Regi.



ADrianum Episcopum Dertusensem in Cardinalium collegium libenter cooptauimus, cum propter ipsius singularem sacrarum literarum doctrinam, probatissimosq; mores & uirtutum plurimarum præstantiam, tum ut tibi morem gereremus, remq; omnium gratissimam faceremus, cũ probum uirum & doctum ac prudentem hominem, Magistrum etiam & præceptorem tuum in amplissimum huius Reip. dignitatis gradum adscisceremus. Qua quidem de re magis magisq; indies lætor. Spero enim fore, ut ea hominis dignitas & tibi & mihi & Reip. usui & uoluptati sit futura. Sed cũ ego iam quæ meæ erant partes in ornando illo eas amantissimè impleuerim: tuum erit deinceps dare operam, ut homo optime de te meritus, magnus nũc uir & in magistratu eminenti positus, fortunarum suarum tenuitati, uel potius, ut iam id, quod est dicatur, paupertati, quæ tot annos eius uitæ socia, nec bella nec placabilis fuit, possit nũtiũ remittere, atq; aliquãdo tandẽ, perindè ut illa dignitas postulat, quã tueri debet, laxè ac liberaliter uiuere. Qua in re sic tibi illũ cõmẽdo, quasi res mea Bembus lib. 16. Põt.

non ipsius agatur. Nam quas tu in eum commoditates liberalitatesq; contuleris, de ijs ego tibi me spondeo libentißime debiturum. Sed uelim id, quemadmodum te quidem facere tantum Regem tamque fortunatũ decet, & celeriter & liberalißimè facias. Octauo Kalen. Feb. Anno V. Romæ.

Basilio Zancho Monacho. S.

Bemb. lib. 6. Famil.

Libri tui de Sophiæ horto heroicis uersibus duo; quos ad me amantißimè scriptos misisti ualde me delectarunt. Vniuersam enim ferè nostrorum hominum theologiam breuibus sententijs complexi ornatè grauiterq; (quod erat unum omnium difficillimum) ijs de rebus loquuntur, quæ profectò soluta oratio posse capere ita; ut legentes delectaret, & se in dignitate contineret; uix ægreq; mihi quidem uidebatur. Itaque tuorum carminum præstantiam, feci, ut debui, plurimi. Amoris præterea erga me tui locupletißimi testes sunt, ueterisq; nostræ beneuolentiæ: ut nihil mihi abs te gratius, nihil omnino iucundius potuerit proficisci. Quare non solum plurimas tibi de eo gratias habeo: sed etiam gratulor; quod ad poetices studia, quæ quidem monachorum uitam, multis ab hinc ingressus annis postea nunquam attigisti, atque ad musas delicatiores illas tuas, tanquam postliminio rediens, læto ab illis uultu susceptus fueris; nihilq;

nihilq́; tibi, tam diu spretas se abs te fuisse, succensuerint. Itaque erit humanitatis tuæ, si te interdum posthac ad suos, ut erant solitæ, numeros inuitabunt, præsto illis esse: quando præsertim magno me hercule cum fœnore, tuiq́; nominis gloria tuam illis operam nauare te intelligis. Vale. Quarto Idus Nouembres. M. D. XL. de Vaticano.

Francisco Cicereio, Mediolanum,

QVêm uereor, optime ac doctißime Cicerei, quia serius epistolæ tuæ respondeo, ne quid suspicere de me durius: quod certè non debes: quo enim tempore mihi Romæ reddita est. graui morbo laborabam: neque conualui, nisi multos menses, nec in Vrbe, sed in patriam reuersus. Nam ualetudini meæ cælum illud, quo usus eram antea per benigno, aduersari & obesse ita cœperat, diutius ut ferre non possem. Itaque fuit omnino, ut uitæ consulerem, ab urbe discedendum, in quo summi Pontificis clementiam & facilitatem laudabo nunquam satis: qui de languore meo certior factus, cũ adhuc muneris mei susceptæq́; prouinciæ menses non pauci superessent, abeundi tamen potestatem petenti æquißimo animo concesßit. quam quidem eius benignitatem tanti æstimo, quanti suam quisq; uitam & incolumitatem æstimare debet. Viuere enim diu me posse, aut rectè saltem & firmi- Manutius lib. 10.

ter umquam ualere, si permanerem, ubi cœperam ægrotare, febri præsertim adhuc urgente quotidiana, planè desperabam. Hæc si tu nosti: non dubito, quin purgatus tibi satis superq; sim. id enim æquitas, & earum artium, quas magna cum laude profiteris, humanitas postulat. Vale. Ex oppido Plebe Sacci. VII. Idus Nouemb. M.D.LXX.

Leo X. Carolo Hispaniæ Regi,

Bembus lib. 14. Pont.

AQuilas quatuordecim auibus capiendis idoneas, quas mihi Adulphus Vandra familiaris tuus attulit, Regium sane munus libenter, ut debui, accepi. Et sunt enim miræ pulchritudinis, & abs te, quem ego mihi filij loco esse duxi: eius præterea generis, quod omnium & nobilius est & rarius: ut neque multæ ullis in locis capiantur; neque sæpè ad nos ueniant. Tu uerò uno munere tot misisti, ut existimem earum capiendarum artem aliquam te callere. Nisi fortè ipsæ sponte sua omnibus è regionibus istò conuolant, ut abs te capiantur, tibiq; seruiant. Quod si est, tu eis malè gratus fuisti, qui ad me miseris. Sed omnino extra iocum, mallem tibi eas retinuisses, quàm mihi misisses. Quippe quæ tibi uoluptati multo magis fuissent, quàm mihi erunt, qui tantummodo cum autumni Romanum cœlum fugio, ualetudinis interdum causa uenatione aucupioque me oblecto, uel eos potius,

tius,

tius, qui mecum sunt: ut iucundior per agros uagagatio & delectabilior nos diutius in labore uiæ teneat. Tu uerò adolescens & Rex, ut multas horas omni tempore consumere arbitratu tuo poßis, eis & sæpius usus fuisses, & utilius, addo etiam & decentius. Quod mihi tamen munus ipsum tuum multò charius atque amabilius facit, cum eo te defraudes ipse, qui uti rectè potes, ut mihi des, qui non possum. Et quoniam bellißimæ, ut dixi, sunt: dabo operam, ut aliquo te remunerer munere. Interea ualebis, nosq; ut facis diliges. Dat. quarto. Id. Ianuarij. M.D.XVII. Anno quarto. Roma.

Decio Brancaleoni, Neapolim.

Nisi tibi nota esset occupatio mea, uererer in primis, ne accusares officium meum, qui literis tuis, amantißimè scriptis, nihil adhuc responderim. Ego, mi Deci, hoc mihi iuris assumo cum amicis, ut, si quid ad eos magnopere non pertinet, à me uerò non satis commodo meo fieri potest, omittam interdum, aut in aliud tempus reijciam. te uerò cur in meis necessarijs non numerem, uel Cambij mei testimonio, qui tuam in me beneuolentiam prædicare solitus est, uel affirmatione tuarũ literarum, ex quibus duplicẽ uoluptatẽ cœpi, et quod amari me abs te cognouerim, et quod eũ te esse, quẽ qui non amet, hominẽ non esse cõtenderim. Nec me putes blandiri uelle, sic equidem loquor, Manutius lib. 2.

loquor, ut sentio. Præclara uirtutis fundamenta iecisti: signa uideo non obscura, nec dubia tum studij, tum ingenij: nec hortari magis, quàm gratulari debeo; cùm tu, qua ætate multi ad inanes uoluptates deflectant, in ea solidam laudem quæras, et propemodum inuenta gaudere poßis. Nec dubito, quin istam mentem, & quidquid ex ea tibi manat gloriæ, uel cōmodi, totum quantumcunque futurum est, acceptum Deo referre uelis; quod si facis, næ tu mihi multò amabiliores, tibiq; ipse optimè consulis, cùm falsam speciem felicitatis humanæ à ueri boni possesione distinguis. Vale & Cambium nostrum, iuuenem eximiæ humanitatis, saluta meis uerbis. Romæ. VII. Idus Quinct. M. D. LXIIII.

Reginaldo Polo Cardinali S.

Sadoletus lib. 11.

POst discessum tuum, nihil adhuc dedi ad te literarum, quod de publicis rebus acta omnia ad te mitti sciebam. De tuis autem nihil mihi nominatim mandaras proficiscens, quod me tua causa facere aut sentire oporteret. Quod si fecisses, beneuolentiam tibi meam & præstitissem re ipsa, & litteris sæpè declarassem: etsi ad meum tibi amorem testificandum, non opus puto esse literis. Hic nos in magno metu Turcarum aßiduè sumus: præsidia tamen adhuc nulla quæ quidem appareant, comparata habemus; nisi illud, unum

unum maximum nobis est præsidium, quod positum est in Principis consilio & sapientia: qui iam sæpius nobis confirmauit, se in communi tuenda salute, animo excubare. Et tamen arbitror à rerum peritis dictum, nisi extremo Sextili mense liberum ad nos cursum classem habere hostium non posse. Tuos conatus non eum habuisse exitum quem cuperemus, doleo equidem uehementer. Sed hoc æquiore fero animo, quòd ita fore præuideram. Tu modò saluum te nobis exhibeas, atq; restituas. occasiones aliæ non deerunt, non enim eundem tenere statum diu possunt, quæ tantopere sunt commoda. Nos hic in fortuna tenui sustinemus tamen onus dignitatis, quoad possumus. rectā adhibemus uoluntatem, reliqua Deo permittimus. Te amamus & colimus, ut debemus, amariq; item abs te cupimus. Tu si quid forte mihi per literas mandaueris, efficiam, ut te non frustrà id fecisse intelligas. Episcopum Veronensem nostrum plurimū uerbis meis saluere iubeas uelim. Vale. Romæ, IIII Nonas Iulij. M. D. XXXVII.

Guilielmo Sirletto Cardinali. Romam.

QVidquid tuli, dum in patriam reuertor, suaue est: tuli autem aspera, grauia, difficilia, sane q; multa: & eo magis, quod asperitates omnes, ægra ualetudo, & corporis imbecillitas, uehementer augebat. Manutius. lib. 10.

augebat. Quæ dum ferrem, hæc mecum loquebatur animus: Sustine præteritorum memoria, futurorum spe: & cognita quas turbas reliqueris, quibus laboribus emerseris, quam tranquillitatem, quam quietem petas. In patriam tendis refertam bonis omnibus; ibi te complexu accipiet dulcissima coniunx, languentem fouebit, infirmum reficiet, afflictum subleuabit; nullũ obsequij studijq; munus abesse patietur. Erit hæc duris in rebus optima consolatio. Itaq; lætus nonnunquam eram in dolore ac molestia comitum meorum. Nunc assecutus ea, quæ speraui, in unam curam incumbo, ut perditam ualetudinem restituam. Diuturnitate morbi, & inedia, corpus iam ut uires amiseram. accessere itineris incommoda, quibus ita consumptus humor omnis est, ut nimia siccitate uitæ periculum impendeat: Dici non potest quo desiderio teneor studiorum nostrorum, quasi ceruus ad fontem, si per ualetudinem licebit sitibundas acurram. Cupio conseruari ueterem amorem in me tuum, meritis quidem à me nullis, perpetua tamen cultum obseruantia; quam eandem semper, aut etiam, si modo ad eam accedere quidquam potest, quod ego non arbitror, maiorem fore tibi confirmo. Vale. M.D.LXX.

Ioan. Mattheo Giberto
Episcopo Veronæ. S.

Sadoletus lib. 3.

IAm diu est, cum ego ad te nihil literarum dedi, quod accidit non obliuione tui mea, neq; pigritia,

aut

aut negligentia nostra: sed quod ipse meis occupationibus impeditus, dubitans de tuis, ueritus sum ne mea sedulitas forsitan tibi molesta esset, si te à grauioribus & sanctioribus curis inanium lectione literarũ auocasset. Etsi inanes nunquã epistolæ esse solent, quæ ut aliud nihil afferant, testes tamen sunt amoris, & conseruatę optimæ uoluntatis. Verum hoc testimonium neq;(ut ego arbitror)tu à me desideras, neq; ego abs te requiro, satis enim nostra uetus constansq; amicitia testimonij utrique nostrum præbet, esse nos inter nos quales esse debemus. amicißimo animo uidelicet, & constantißima uoluntate coniunctos. Ego ijs proximis mensibus audiui, impressos esse tua impensa, & opera, optimos autores græcos: quorum in sacris literis interpretandis egregia doctrina est & autoritas, quo nuncio ualdè sanè letatus sum, animumq; tuum pristinum recognoui propensum ad bene merendum de artibus optimis. Quarum tamen princeps ista est, quæ ad Deum, & ad ueram fœlicitatem est directa. Hoc si ita sit, quod ego confido esse. fretus tua animi præstantia & liberalitate peto à te, ut me certiorem facias: ut, siue sit perfectum negotium, ipsis uoluminibus & libris, siue in eo ut perficiatur: spe propinqui cõmodi oblectare me poßim. Nos hic commentarios in Epistolam ad Romanos scribimus: opusq; difficile & arduum ita tractamus, ut in eo præcipuè laboremus, quo extare poßit tibi,

quod

quod iam pridem sumus polliciti. Vale, & nos dilige. Carpentoracti. VI. Calend. Nouembris. M.D. XXXI.

Iacob Sadoleto. S.

Longolius lib. 3.

EX literis meis quæ M. Caballo ad te nuper dedi mandatis, intellexisse te puto, & qui rerum nostrarũ hic esset status, & qua mihi in re autoritate tua tum quidem opus. Nunc uerò cum omnem spem, & omnia tuendi ocij nostri consilia nec opinata & improuisa ista Leonis Pont. Max. morte peruersa uideas, ineunda tibi noua aliqua tuendi nostri est ratio, Mihi enim deest consilium, neque hic sane spes ulla ostenditur. Petrus quidem Bembus, cuius potissimum opibus, si quid tale accidisset, me sustentatum iri arbitrabar, longo illo & difficili morbo ita etiam nunc implicatur, ut nec ipse mei meminisse poßit, nec ego ei hoc tempore molestus esse uelim. In te reliqua spes est, qui etsi non satis exploratum habeo, quantum me hoc in genere iuuare poßis, tamen quia uel rationes meas nosti, uel etiam multos istic familiaritate & amicitia coniunctos habes, principes uiros, à quibus aliquid studijs nostris adiumenti afferri posse & opis confido, peto abs te pro singulari tua erga me beneuolentia, ut si quid tibi uenerit in mentem, quod nobis commodo & ocio nostro usui fore uidebitur, eiusce rei cogitationem aliquam atque actionem suscipias.

Agerem

Agerem tecum pluribus uerbis, nisi cum te mea causa uelle non dubitarem, tum uerò res ipsa per se satis loqueretur. Tantum habeto, si mihi hoc meo tempore abs te consultum esse intellexero, percepturum te aliquando magnam ex officio tuo uoluptatem: neque uero eam laudum tuarum fore ultimam, quod Christophorũ Longol. aliorũ omnino opera in altum delatum, sed in ipsis medijs fluctibus miserè destitutum, ipse tu ex omnibus unus commendationis tuæ aura in portum perduxeris. Vale. Ex urbe Patauio. Idus Decembris.

Romulo Ceruino,
Pauauium,

QVod tu per sæpe queri solitus es, id mihi nunc accidit, ut epistolæ prorsus caream argumento: sed ego tamen non committam, quod tu soles, ut argumenti me inopia deterreat à scribendo. quin uide, quam diuersa ratio sit; tu, cum sententiam non habes, ualde tibi ais laboriosum esse epistolam texere: ego nunquam facilius soleo scribere, quàm cum nihil habeo, quod scribam. At inanes huiusmodi literæ sint, necesse est. Primum hoc non semper, quandoque enim accidit, ut nihil dicentes, aliquid tamen dicamus. & ut in fidibus est quædam manus aberratio sine arte, in qua tamen ipsa ars sit: sic in epistolis argumentum quandoque est sine argumento. Itaque non semper

Manutius. lib. 1.

F inanes

inanes huiusmodi litteræ: siquidem in ijs solet aliquid nonnumquam existere, quod pondus habeat. sed fac inanes esse: quid refert? non hoc spectamus, id sequimur, ut exercitatione duce, eò perueniamus aliquando, ubi sita laus uidetur eloquentiæ? quod si nobis tantum in hoc proficere non licet, ut ueteribus illis, quorum est purissima oratio, similes esse possimus: at tentemus tamen, si possumus nostris, qui inquinatè, loquuntur, dissimiles esse, quod, ut opinor, & multum & sæpe scribendo consequemur. Ac noli putare, semper in eo nobis esse elaborandum, ut philosophemur in epistolis. graues sententiæ probantur, fateor: sed nunquid hoc uno latina lingua continetur, me quidem Cicero paullò minus delectat, de iocis cum agit, quam de turpi, & honesto cum disputat. Vale. Romæ.

Gabrieli Paleoto Bononiensi. S.

Sadoletus lib. 16.

QVod scribis in literis tuis, te arbitrari, collegæ mei, uel fratris charissimi potius Petri Bembi Cardinalis, importuna morte me grauiter afflictum, & prostratum iacere: non fallit in eo te opinio tua. Nihil enim mihi potuit euenire acerbius, quam diuelli ab eo, cuius ego amicitiam fraternamq; coniunctionem quatuor & quinquaginta annos inuiolatam tenueram: quem propter ipsius præstantissimas uirtutes, summamq; humanitatem, probitatem, sua-

suauitatem, singulari & pene inaudito amore prosequebar: quo cum eram omnibus & studiorum eorundem, & uoluntatem, tam in familiaritate & consuetudine nostra, quàm in ipsa Repub. uinculis & necessitudinibus astrictis: ut eo mihi nunc erepto, solus plane, & ab omnibus mihi desertus esse uidear. Ex quo nō possum non dolere casum meum. Nam illum quidem lugere non esset fas. Caue enim putes quenquam unquam ulla in gente, ullo tempore, uixisse tam beatè, quam Petrus Bembus est mortuus, siue Diuinæ in eum beneuolentiæ indicia spectentur, siue humanæ. Quæ magna quidem mihi est consolatio: sed nequaquā adhuc mœrori meo par. Verū dabimus operam, quoad Deo adiutore poterimus, ut dolorem minuamus, qui est imbecillitatis: memoriam autem talis uiri, id quod ad fidem amicitiæ, & ad illius gratam uirtutum commemorationem pertinet, aßiduā retineamus. Tu mi Paleote perge ut cepisti, atq; ita te confirma, ut ei, expectationi, quæ magna de te concitata est, speiq; tuorum cumulatè satisfacias. Fratribus tuis humanißimis ac suauißimis Galeatio, Camillo, & Astori plurimā à me dic salutē. Vale. Romæ, V. No. Feb. M.D.XLVII.

Petro Bembo. S.

SI quid hic esset quod te scire oportere existimarem, scriberem id ad te cùm libēter, tum pluribus etiam uerbis diligenter. Nunc omnino eiusmodi res nostræ sunt, ut quid tibi litteris meis significem, Longolius lib. 1.

planè non habeam. nisi illud fortasse scire uis, me ad hunc diem tuas ad tuos literas expectasse, ut Patauium proficiscens, aliquod scribendi argumentum inde colligerem. Scripturus eras tu quidem Pisauro, sed nihil adhuc illinc. Suspicabantur tui cum has exararem, te iam Florentiam, si quidem Pisauro eò recta profectus esses, uenisse. Ego autem has tibi Romæ redditum iri: ubi uelim negotia nostra ita cures, ut et ego semper speraui, & tu te facturum mihi recepisti. Illud uerò an epistola magnopere dignum sit, haud equidem scio, non mihi tamen prætereundum existimaui: ut cognoscas quo par sit animo, tuos absentiam tuam tulisse, cum uel bestias discessum tuum luxisse uideamus. Scito Bembinum delicias tuas desiderio tui penè extinctum esse: certe dolorem quem ex absentia tua contraxerat, nobis & bidui inedia, & perpetuo ululatu discursuq; testatus est.

Manutius libro 6.

Nunc & si ad cibum, nondum tamen ad pristinam illam suam alacritatem rediit: mœstus semper, & ad contrectationes blanditiasq; nostras subringens. Tu cura ut ualeas: id enim & nos facimus: ac simul operam dabimus, ut ne frustra consuetndine, conuictu, cōfilijs tuis usi tanquam uideri possimus. Saluta mihi amicos communes: simul & illud quidnam sit fac intelligam, quod me nonnulli comminiscuntur de ingenijs Romanorum interrogatum respondisse, non crepare montes. Ego enim cum id nunquam dixi, tum uero cu-

ro cuiusmodi sit, intelligere non possum. Venetijs *proficiscens,* XIIII. Calend. *Maij.*

Decio Brancaleoni. Neapolim.

MIramur uterque, tu, quod literis tuis nõ responderim, ego, quod eo me nomine appelles, atque officium meum requiras. quid? tu solus ignoras, quibus distinear curis? quantis rerum oneribus premar? quam numquam uacem? nec tum deserere officium soleo; numquam id mea uel consuetudo, uel natura pateretur. At non rescripsi. Excusat *me literarum tuarum argumentum; petebas à me scripta mea. quæ corrigere cum uellem, otium numquam nactus, comprimenda potius, quam emittenda, iudicaui: idq; sum arbitratus licere mihi per humanitatem tuam.* Hoc *ipsum, inquies, scripsisse uellem.* Hoc *ipsum te quoq; suspicari decuit. & erat amoris, & ego, id te cogitare, aut ad aliam saltem caussam referre silentium meũ, libenter mihi persuasi. in quo si tu me putas indulgere mihi plus, quam oporteat; assentiar, cum ea fortasse conditione, ut te plus à me, quam par sit, exigere fateare. nam in ijs, quæ tua interesse cognouero, nulla mihi, crede, impediet occupatio, quo minus amicitiæ nostræ debitum officium præstem. inanes autem literas ut mitterem, uix impetrarem à me ipso, si otio abundarem: quid, cum egeam uel maxime?* Equidem, *in te amando, partes ut meæ desiderentur, numquam*

Manutius lib. 6.

committam, idemq; à te peterem, nisi uoluntatis in me tuæ testes epistolas tuas, Cambium autē nostrum, quē æquè diligimus, quasi sponsorem haberem. Aduentum tuum, de quo spem rursus iniecisti, auidè exspecto. Vale, Romæ, III. Non. Febr. M. D. LXV.

Iac. Bapt. Lomellinis Fratribus, S.

Bemb. lib. 6. Famil.

AMabam uos quidem antea multis nominibus plurimum. Nunc uero quas ad me litteras Patauio dedistis: eæ me uestri multò etiam amantiorem reddiderunt. Sunt enim & plenæ officij, & amabiliter scriptæ, & quæ uestram uos operam in optimis artibus ediscendis bene posuisse adhuc quidem facile ostenderunt. Itaque uestra ea de re cura & diligentia mihi magnopere probatur: Hortorq; uos; ut, quod laudabiliter incepistis, etiam ad exitum perducatis. Nihil omnino uobis ipsis ad dignitatem atque ad omnes uitæ uestræ rationes poterit esse aptius, opportunius, conducibilius: nihil patri patruoq; uestro, qui uobis istud ocij & facultatis comparauerunt; plane iocundius: Quorum alterum doctum sane hominem, & summa prudentia uirum plures iam annos unicè diligo; utorq; eius consuetudine & beneuolentia perfamiliariter: alter autem; quoniam uobis pater est, tametsi eum nunquam uidi, à me tamen non minus quam

diligi

diligi qui potest? Me quidem habebitis; cui æque chari sitis, ac estis patruo; paullo autem minus chari, quam ipsi patri. Valete. Sexto decimo. Kalend. Octobris. M.D.XLVI. Romæ.

Petro Bembo.

ETsi nihil erat omnino quod scriberem, non potui tamen Flaminio nostro istuc proficiscenti, non uel inanes ad te dare litteras potius, quam nullas. Sanè enim in rebus meis nihil est noui. Versamur adhuc in his, ad quæ tu me unus omnium semper es cohortatus, litterarum studijs. De te uero, & si minus quam cupimus, audimus tamen quæ uolumus: tam leuem iam accedere quartanam, ut utrum tentatiuncula sit ea, an febricula, uix ipse tu sentias atque dijudices. Hoc ipsum mihi quàm gratum sit, etiam tacente me satis, puto, intelligis. Equidem (quod unum absens & possum & debeo) pro salute tua uota facio, & ut te planè confirmatum, hic primo quoque tempore uideam, etiam atque etiam exopto. Flaminium ipsum à me hic tibi commendandum esse non arbitror. Est enim iampridem in ære tuo, ut quem tute mihi ipse accuratè commendaris: testimonium modo mei de studio eius atque industria iudicij, ei dabitur. Scito ex omni nobilitate Romana multis iam seculis exstitisse neminem, qui

Longolius lib. 3.

ad summa ingenij atque iudicij ornaměta tantum adiunxerit diligentiæ, & in omni liberalis doctrinæ studio aßiduitatis. Non enim politiorem modo humanitatem & communes literas attigit, sed etiam se utraque lingua in recte dicendi disserendiq; ratione ita exercuit, ut non credibile sit, neque quàm longe iam processerit, neque quò paucis annis tam pleno gradu per uenturus sit. Pertexet enim, scio, quod exorsus est, nisi aliqua forte temporum iniuria ab instituto cursu aliò rapiatur. Sed de Flaminio nimis multa, præsertim ad te, qui cum de adolescentis indole summa semper sperasti, tum uero fortasse libenter adhuc legere non pates. Valebis igitur, & à Polo nostro saluebis. Vale. Ex urbe Patauio. VI. Idus Februar.

Nicolao Parennoto, Domino de Granuella, Cæsaris Consiliario. S.

Bembus in Famil. li. 3.

EGgo & ingenium tuum eximium atque mirificum omnium maximarum rerum capax, uirtutesq; summas & præstantißimas una cum singulari optimorum studiorum doctrina coniunctas tuas iampridem suspiciens, te intimis animi mei sensibus cum plures annos tacitus colui: & liberos tuos primarios adolescentes ac supra ætatem morum & literarum elegantiæ præditos; qui Patauij bonis artibus operam

ram

ram dabant; amaui, uti debui, sanè plurimum. Itaque cum hoc tempore patrocinij apud Carolum Imperatorem tui magnopere indigerem: facilè in eam spem ueni; ut tu, quæ tua est humanitas, mihi illum sis tua commendatione propitium atque beneficium præstaturus. Georgius Palleanus; quem quidem unicè diligo, atque ab eo diligi me sentio; causam meam remq; totam ad te deferet. Oro igitur, obsecroq; te, ut tantum mihi de tua illa prona ad bene de humano genere merendum probitate hac in causa commodes: ut meam dignitatem measq; fortunas; quæ quidem iniustissimæ diutißimæq; iacuerunt, per te unum aliquando tandem erectas mihiq; restitutas putem. Non dubito, quin plurimis magnis uiris tuam opem implorantibus auxilio sæpe fueris; eorum causas defenderis; nomen illustraueris: ipsos tibi omnia debentes dimiseris. Neque enim aliter cum de ea, quam habes, hominibus iuuandis facultate; tum de natura nobilißima mitißimaq; tua est existimandum. Sed si nos unos; qui minus etiam quàm mediocres sumus; illis omnibus adiunxeris: non erimus fortasse in postremo eorum numero; quibus ornamento te fuisse, non dicam lætare, sed certe numquam pœniteat. Carolo quidem ipsi, si à me referri gratiæ non poterunt; ita tamen habebuntur: ut confidam, illi me ingratum non fuisse omnes homines existimaturos. Vale. Quinto Kalend. Decembris. M.D.XXXVIII. Venetijs.

Nic. Archiepisc. Capuæ S. R. E. Card. S.

Sadoletus lib. 9.

Litteræ tuæ perbreues, sed amoris humanitatisq; plenissimæ hoc mihi etiam fuerunt iucundiores, quod manu tua scriptæ, illud ipsum testimonium de quo scribis, nostræ perpetuæ & constantis amicitiæ, grauius multo faciebant. Etsi illud in eis nimis liberaliter: quod mihi ea honorum cognomina attribuis, quæ ego urbis summatibus libenter facileq; concedo. Nam mihi sanè paruitas mea est uoluptati, quæ in tranquillitate animi, otioq; literario posita lætatur. Florere autem amplis titulis & honorum ea insignia obtinere, quæ cum magnis curis & negotijs coniuncta sint, magis in te cæterisq; amicis meis, quàm in memetipso gratum mihi est. Vestro enim patrocinio, uestro labore & opera, nos uiuimus pacatiores. Quanquam nullus quidem mihi amicus est te antiquior, ac ne beneuolentior quidē. Ita enim & ad me scripsit, quoad in urbe mansit Paulus: & reuersus ad nos illud idem uehementius confirmauit, nullū sibi à te studium, nullum iudicium amoris, quod quidem optare potuerit aut debuerit, defuisse: cùm & in deferenda ope tua, insignem in se beneuolentiam: & in communicandis maximis rebus summam fidem: & in omni sermone usuq; familiari, egregiam tuam comitatem se expertum esse, plurimumq; adamasse testificetur. Quæ mihi omnia iucunda auditu, ipsa re per-

grata,

grata, non quiedm præter spem, sed tamen supra spem mihi tributa sunt: ut tantum tibi pro illis gratiæ debeam, quantũ nostra amicitia patitur. Ea porro uult, ut animo magis, quàm uerbis gratam memoriam officiorum comprehendamus: quod tibi quidem à me, & amplitudini tuæ nunquam deerit. Tu quando mihi omne tuum studium & autoritatem et operam amantißimis uerbis polliceris atque defers, summo me omnium beneficio afficies, si amorem istum tuum erga me conseruaueris. Vale. III. Idus Martij. M. D. XXXVI. Carpentoracti.

Gregorio Cortesio Cardinali S.

HEri te in nostrum cardinalium collegium à Paulo Tertio Pont. Max. incredibili totius ordinis consensu cooptatum fuisse ualde lætor. Quod quidem tametsi serius factum est, quam oportuit, quamq; ipse credideram futurum: nam cum anno superiore apud illum hac ipsa in causa plurimum de te sermonem habuissem; sic ab eo discessi; ut confiderem cum ijs, qui paucos post dies eundem honorem assecuti sunt, te renunciatũ iri: tamẽ cum sit is uniuersi Christiani orbis concilium hyeme proxima concelebraturus: à Deo Opt. Max. te in hoc tẽpus reseruatũ fuisse mihi quidẽ persuadeo: ut tibi ad hoc muneris accersito statim quasi

Bemb. li. 6. Famil.

quaſi campus latiſsimus pateat; in quo ſe uirtus laudabiliter oſtendere & exercere poſsit tua. Quare de eo non tibi ſoli gratulor; cuius nomen doctrina tua excellens, religio, pietas, incomparabilis prudentia tam clarum iam apud omnes gentes reddiderunt; ut poſtrema hæc dignitas non tam priorem tuam dignitatem auxiſſe, quàm ad illam acceſsiſſe uideatur: ſed & collegio ipſi uoſtro, quod me hercule te addito ualdè erit poſthac ornatius, & toti plane reip. quam quidem es ab ijs hominibus, qui eam hoſtiliter inuadunt, tuo illo prope diuino ingenio & ſapientia, & reliquarum uirtutum plurimarum tanquam acie ac robore peropportunè defenſurus; eiq; magnæ tum gloriæ, tum utilitati futurus. Me quidem habebis eundem in poſterum, quem multos abhinc annos habuiſti, amantiſsimum & cupidiſsimum tui, & præterea, quoniam in eodem collegio erimus; & in conſilijs capiendis, & in ſententijs dicendis, & in omni uita tecum in primis coniunctiſsimum. Vale. Tertio Nonas Iunias. M.D.XLII. Romæ.

Nicolao Peitellio S.

Sadoletus lib. 16.

PAulus ad me ſcribit, in eo obeundo munere, quod rogatu meo ſuſcepiſti: te & ipſi, & Carpentoractenſibus ciuibus uſque eò ſatisfacere, ut in ſacris illis concionibus, quas ad populum habes, nec religio-

nis

nis studium ardentius, nec rerum copia uberior, nec orationis subtilitas maior desiderari posse uideatur. Itaque admirabilem ad te audiendum hominum cuiusque generis, ætatis, ordinis concursum fieri, ut prorsus nunquam istic quisquam maiore hominum uel frequentia, uel admiratione, eius generis conciones habuerit: Quod mihi quidem, qui præstantißimum ingenium tuum, pari uitæ integritate ac pietate coniunctum, istic cùm essem facilem perspexi, minimè mirum uisum est, Non possum tamen facile uerbis consequi, quàm id gratum mihi & iucundum acciderit. Nihil enim uehementius studeo atque opto quàm illos homines, quos fidei meæ commissos, paterno planè amore prosequar his tam turbulentis temporibus, quibus multi quotidie à uera religione abducuntur, in recta erga Deum fide atque officio manere. Itaque cum tu ad eos continendos tam fidelem tamque egregiam operam mihi absenti naues, incredibili quadam uoluptate afficiar necesse est. Tibi uerò eo nomine tantum debere me intelligo, quantum equidem uix posse unquam uideor persoluere. Sed tamē, & is primum, qui pias hominum actiones cœlestibus premijs remuneratur Deus, cui tu imprimis deseruis, tā præclari officij tui amplißimam tibi mercedem reddet: & ipse non desistam, quin tibi pro tantis tuis in me meosq; ciues meritis, aliquam aliquando gratiam referam. Tu ut ciuitati isti pergas rectam, quemadmodum

dum facis, salutis & immortalitatis uiam ostendere: meq; apud Deum precationibus tuis iuues, uti mihi ad ecclesiam meam regendam redire illius benignitate contingat, abs te uehementer peto. Vale mi Peitelli. Romæ. M. D. XLVI.

Nicasio Casletano.

Manutius lib. 5.

QVantum mihi uoluptatis attulerant litteræ tuæ, summæ tum humanitatis, tum etiam doctrinæ notis insignes: tantum postea doloris ac molestiæ, erepta ob aduersam ualetudinem respondendi facultate, suscepi: Non ego aut is ego sum, cui quidquàm prius officio sit; aut eum te esse ex Dudithij litteris cognoui, cuius amicitia contemnenda potius quam appetenda uideatur. Sed omitto Dudithij uel testimonium, quod apud me ponderis, sicuti debet, habet plurimum, uel uoluntatem, cui libenter omnia tribuerem; Ipsa quam ad me misisti epistola, quid est quod impetrare non posit? scripta primùm humanißimè, cum beneuolentiam in me tuam significes, meam exoptare uidearis: Deinde ita eleganter, ac diserte (ne uiuam, si mentior) ut ego tibi in hac Eloquentiæ laude comparem sanè paucißimos, anteferre debeam neminem. Quare, cum istam animi tui singularem in me amando, atque etiam laudando liberalitatem libenter amplector; tum uero me tibi parem in utroque

que uoluntatem reddere, idque non tam officij tui magnitudine prouocatum, quam iudicio facere, uelim existimes. Tu uideris, quid de me sentias, & quo me loco reponendum statuas: non enim ita laudem aspernor, præsertim quæ ab ijs, de quibus bene omnes existimant, proficiscitur, ut quam de studijs meis opinionem suscepisti, eius deponendæ, aut diminuendæ, tibi auctor esse unquam uelim. Ego quod ad me attinet, si qua tui dabitur, facultas ornandi, plena manu tuas uirtutes ad cælum tollam: studio quidem & amore ne uincar: & enitar, ut soleo, diligenter, & ut spero consequar, præsentem scilicet mutui sermonis suauitatem longinquitas aufert: litteris tamen, si ualebo, quod adhuc non contigit, ne prorsus abesse uideamur, operam dabo, Vale, & Duditio meo salutē. Venetijs.

Georgio Duci Saxoniæ S.

QVod non tam citò tuis litteris rescripserim, præsertim tam accuratè, tamq; prudenter scriptis, ignosce (quæso) mihi. Non mea fuit culpa, sed cum emergere cœpissem ex graui morbo, quo quatuor pene mensibus oppressus, periculum uitæ non semel adij, allatæ eæ mihi sunt, meq; summa & incredibili quadam uoluptate affecerunt. In eis enim non solum recognoui tuam pristinam uirtutem, & sapientiam, quam semper antea sum admiratus: Sadoletus lib. 4.

sed

ſed ſingularem etiam, & nouam quandam humanitatem cognoui. Sic enim benignè atque amanter me in amicitiam tuam recipis, ut mihi, qui hoc ſummè ſemper concupiui, ut tibi aliquo amoris uinculo coniunctius eſſem, nihil accidere potuerit optatius. Non enim ego, Georgi præſtantiſsime, diuitiarum aut pecuniæ amator ſum, nec honores & potentiam magno ſtudio requiro: ſed amo uiros animo & uirtute excellentes, inq; eorum amicitia & mutua erga me beneuolentia incredibiliter acquieſco. Itaque tua nunc erga me uoluntate perſpecta, crede mihi tanto in te ſtudio ſum accenſus, ut nemini unquam conceſſurus ſim, qui aut ardentius te diligat, aut maiore cultu atq; honore tuas præclariſsimas uirtutes proſequatur. Quod ſi locis diſiuncti, congredi unà, & colloqui coram inter nos non poſſumus, literis tamen & crebris ſcriptionibus idem propemodum aſſequemur. Sed de rebus, quæ in tua epiſtola graues, & magnæ, & grauiter ſcriptæ ſunt, tunc tibi reſpondebo, cum ſummũ Pontificem fuero allocutus, atque ipſe quoq; factus ero firmior. Nunc cum nec mente adhuc, nec corpore ſatis conſiſtam, accipe (quæſo) breuem hanc epiſtolam, teſtem animi & amoris erga te mei. Cum primũ facultas dabitur, uberius ad te ſcribam: nec te patiar officium in eo meum deſiderare. Tu ut ualetudini operam des, noſq; diligere pergas, magnopere à te peto. Vale. Romæ, IIII. Cal. Ianuarij. M.D. XXXVII.

Franciſco

Francisco Robortello, Bononiam.

TE quidem eximia doctrinæ opinione, quam apud omnes meritò consecutus es, humanitatis laudem uelle coniungere, tum mea causa lætor, qui tua consuetudine nimium diu molestißimè carui, meæq; in te perpetuæ uoluntatis ipse mihi egregiè sum conscius, tum uerò, quod inter te, & Sigonium meum, uiros tales, & plane duo nostræ Italiæ lumina, non optime conuenire, ferendum uix erat. Itaque, cum de nostra autore Seripando reconciliata gratia ex ipsius Sigonij litteris cognouissem, feci statim, quod meæ partes erant, ut animo te complecterer, meq; tibi, leuiter antea, nec sane mediocri cum dolore immutatum, libentißimè totum restituerem. A te peto, non ut me mutuò diligas, quod te iam facere, perpetuoq; facturum certo scio, sed ut officijs etiam ita mecum certare uelis, quibus & cupidè uincam, & uincar tamen non inuitus, ut nihil omnino neque de mea in te uetere obseruantia, neque de tua in me beneuolentia defractum esse uideatur. quanquã hoc, tua fretus bonitate, & sapientia, cum sperauerim antea, nunc ut plane confidam, litteræ tuæ fecerunt ad hominem bene doctum, & utriusque nostrum amantißimum, Raphaelem Cyllenium proximè conscriptæ: quibus in litteris partim de me, quo sum mirificè lætatus, amãtißimè loqueris, partim etiam typos græcos fratris mei, nescio qua culpa amissos, benignißimè mihi pol- Manutius lib. 5.

G licerìs

liceris, ac defers. Ego, mi Robortelle, istam uehementer amo uoluntatem, quam tibi certe emetior: liberalitate uero tua & si delector maximè, tamen, cur utar, non est, cum officinam satis ampla & perelegant i huius generis copia magnis iam sumptibus instruxerim. tibi tamen, quia de commodo meo tua sponte cogitaueris, quod sine summo erga me amore fieri profectò non potuit, æquè debeo, ac si rem omnium maximam meo pernecessario tēpore detulisses, quod si à me paria, ac multò etiam præstantiora in omnibus rebus, quas ad tuæ laudis, tuiq; commodi partem aliquam pertinere intelligam, studia & officia expectabis: nunquā te fallam. Atq; huius quidem testem promißi, & qua si loco fœderis quod à me uiolari nunquàm patiar, hanc esse apud te epistolam uolo. Vale. Venetijs.

Romulo Amaseo S.

Sadoletus lib. 16.

VEnienti istuc Iacobo Bordingo, qui Scholæ Carpentoractensi triennium præfuit, optimo uiro, & Græcis Latinisq; literis eruditißimo, non potui nihil ad te literarum dare: tum ut cōmendarem tibi hominem, quem mediusfidius ego singulari beneuolentia complector: tum etiā, tu ut agnosceres, memoriam me tui cum summa item beneuolentia retinere. Is ea de causa Bononiam proficiscitur, ut quoniam dedit aliquot annos medicinæ operam, id studij & laboris

boris in ista urbe perficiat, doctorumq; iudicio statuatur dignuus, qui ipse quoq; poßit eam ciuibus suis artem & scientiam profiteri: quod illum magna cum ingenij & doctrinæ laude adepturum esse confido. Nunc etsi non dubito, mi Romule, quin quem à me & diligi & probari intelligis, cum sis tuis studijs atque officijs omnibus persecuturus: tamen sic uolo te existimare, uix quicquã inueniri posse, in quo mihi tua officia accidere poßint gratiora, quam in Bordingo, cui omnibus de causis merito amicißimus sum. cupioq; eũ quàm maxime et celebrari et ornari. Quod tu præter cæteros egregie mihi præstare potes, qui præes Bononiensi iuuẽtuti, & elegantibus ingenijs dominaris, in ea urbe natis, è qua eruditio, & optimarũ artium disciplina, in has trãsalbinas nationes dimanasse creditur. Porro aũt hæc sunt, quæ ego te posco: Primũ ut diligas hominem ipse, et charum habeas: deinde, ut eidem doctos istic uiros concilies, reddasq; eũ & meo, & tuo testimonio omnibus notum. Postremo, ut cùm publicè iudiciũ de dignitate Bordingi per doctorum collegiũ fiet: tu cũ tuis omnibus uestro eum comitatu frequentiaq; honestetis. Quanquã summa postulatorũ meorũ hæc est: te uti ita geras aduersus Bordingũ, amore, studio, diligentia: ut intelligat ipse, meam hanc sibi commendationem apud te plurimum profuisse: egoq; in hoc homine experiar, id quod tamen iam pridem scio, me abs te non solum diligi,

ſed etiam uehementer amari. Vale mi Romule. Carpentoracti. IIII. Calend. Octobris. M.D. XL.

Nario Nizolio,
Parmam.

Manutius. lib. 2.

EPiſtola tua, mi Nizoli, ut amici hominis, ac uehementer amandi, ſumma me uoluptate affecit, ac meam uehementer incendit cupiditatem Parmam adeundi: non quòd urbs, aut urbis ornamenta me moueant: (alij hoc mirantur, apud me uulgaria ſunt) ſed aueo incredibiliter ueterem meum, meum dico? immo uero litterarum ac ſtudioſorum omnium ipſumque litteris excellentem, Alexandrum Farneſium Cardinalem ſalutare: quem cognoui Romæ & colui puerum adoleſcens, eximia iam tum indole præditũ. & earum laudum principijs, quas deinde auctus ætate ſimul & iudicio perficit, magna omnium expectatione florentem. quo quidem tempore uehementer urbs ipſa excitauit me atque acuit in ſtudio liberalium diſciplinarum, aſpectu ipſo antiquitatis, & multiplici ac uaria hominum eruditorum ſcientia: ſed ut ingenue uereq; fatear, proprie me expoliuit aula Farneſij moribus, ac litteris, cum uiuerem coniunctiſsimè ac familiariſsimè cum duobus præſtantiſsimis uiris Marcello Ceruino, & Bernardino Maſeo: quarum alterum Pontificem maximum, alterum Cardinalem, utrunque immortalitate digniſsimum aduerſa bonis artibus iniqua mors eripuit. Quare quod me Parmam

Bemb. lib. 6. Famil.

mam uocas, & multis uerbis inuitas amantißimè, non me litteræ tuæ sopitum excitarunt, sed currentem potius, ut aiunt, incitarunt. quod utinam cum uoluntate cætera congruerunt: iam iamq; uobiscum essem. sed uides anni tempus: uides itinerum difficultatem: scis, quàm imbecillo sim corpore, quam tenui, & ad incommoda, iniuriasq; cœli perferendas parum apto. timeo etiam à militibus, à quibus ocium non est: excurrere enim dicuntur, & prædas facere. non igitur ueniam, cum à uobis unius diei uix absim interuallo? ueniam, opinor, quæque aduersantur & impediunt contemnam omnia. uolo omnino meis oculis, Farnesio uidendo satisfacere: uolo hanc à me ipso gratiam inire, & salutationis officio, expetito sanè, ac debito, persungi. Vale, & Farnesio Cardinali meis uerbis salutem plurimam dicito. Assulæ.

Alexandro Farnesio
S. R. E. Cardinali S.

GRatæ mihi tuæ literæ tantumnè? imò uerò & peroptatæ, & dulces: quæ aliquam mei memoriam residere apud te mihi indicarunt. Quod ego quanti faciam, non nunc scribo: aliud erit tempus ista commemorandi. Hoc dico in tuis iucundißimis literis illud tamen offensionis fuisse, quod hæ tardißimè ad me perlatæ sunt. Scriptæ enim à te VII. Idus Sadoletus lib. 12.

Septembris, tertio Idus Octobris mihi sunt redditæ, sexto & trigesimo die uidelicet postquàm tu eas dederas. Sed quod ad rem pertinet, utinam Farnensi amplißime uobis uocantibus, quemadmodum quidem cuperem, subito parere possem: neminē profecto promptiorem ad optemperandum uobis inueniretis. Sed quæ me impediant causæ quo minus statim accedam, scribo ad Pontificē Max. scriboq; non tam sapienter, quàm ingenuè & liberè. Quod Pontifex ipse pro sua perpetua præstantiq; humanitate in bonā partem accipiet. Earū ego literarum exemplum ad te misissem, nisi illas cōmunes tecum fore existimassem: quod certè ita futurū est. In ijs ego peto atq; oro, ut tempus meæ absentiæ mihi prorogetur usq; ad proximum mensem Aprilem: quo tempore in Italiam reuerti mihi in animo est. Hac in re Farnesi optime, te mihi aduocatum esse cupio, ut facilius impetrem, quod æquißimè à me petitur. Neq; tamen recuso, si uos omnino ita statueritis, quin primo quoq; tempore istuc ueniam. Sed cùm neque magnum fructum ex me istic percipere poßitis, quod in tot sapientißimorum patrum consilijs, & prudentia parum eminere opera mea potest: & ego magni mea interesse sentiam, aliquandiu hic manere: erit humanitatis & liberalitatis uestræ, faciles uos præbere in eo, quod uobis parum admodum, mihi autem plurimum profuturum sit. Sed de his reijcio me ad eas literas, quas Pontifici scribo futuras (ut dixi)

tibi etiam communes. Te quidem ipsum rogo, ut mei absentis famam atque fortunas in tua fide & patrocinio esse patiare: tandemq́; te mihi præstes, qualem ego animum erga te in omni tuo honore dignitateq́; tuenda, si res ita ferret, plenum amoris & diligentiæ afferrem. Vale. Idib. Octob. M. D. XXXVIII. Carpentoracti.

Ioanni Sambuco.

CVm me uocas ad scribendũ, confirmantur consilia mea iudicio tuo. ac tu quidem in hoc officio cohortandi facis idem, quod multi: quibus facilè possem satisfacere, si per domestica negotia liceret. sed obsecro, nolite ex otio uestro meum spectare. uobis enim certa, & expedita sunt omnia: mihi unicum est uectigal industria mea: qua liberos alere, tueri familiam cogor. &, si negligam, deseretur humanitas: sin, ut debeo, diligenter curem, iacere studia necesse est, quæ solutum curis omnibus animum postulant. At inquies: ipsa tibi studia fructum ferent. Caue alijs cantilenã istam, mores, ac tempora ignorantibus, mihi non persuadebis experto. Vetus illa Principũ uirorũ benignitas exaruit. inania plæriq; sequuntur, nihil solidum amant, nihil magnificum, nihil illustre. Vides alios, quasi perdendis tantum frugibus nati sint immanibus epularum sumptibus opes exhaurire: Manutius lib. 5.

alios, quasi etiam homines ipsos, nõ modo fruges, perdere pulchrum sit, thesauros effundere, collectos acerbissimè, in ea bella, quæ uastitatem agris, urbibus incendia, humano generi, aliena stultitia miserrimo, cladem, & exitum importent. Musæ interim ubique locorum algent, neglectæ ab ijs, qui fouere eas ut maximè poterant, ita maximè debebant. Etiam illud indignum, quod existunt, qui specie liberalitatis gloriolam aucupentur: & eam uirtutem, à quo longissimè absunt, quam oderunt cane peius, & angue, quasi familiarem suam sic in ore habeant, ut amare uideantur. exemplum recens in manibus est, homines, ut à multis accepi, nobilissimi, qui mihi et obsignata charta, quid ultro promiserit, & postea, cultus à me diligenter omni genere officij, qualem exitu se præbuerit, non ignorans. Hoc fere morbo laborant multi, eoque grauis, quo minus eorum dignitas, & amplitudo fert. Vale. Venetijs.

Isidoro Clario Abbati S.

Sadoletus lib. 16.

COmmodum emerseram ex tertiana febri, cum tuæ mihi allatæ sunt literæ, datæ V X I. Calend. Augusti Tridenti: aliquando etiam serius, quàm dierum & itinerum ratio postulabat. tabellariorum negligentia nobis redditæ: quibus in litteris facile & amorem tuum erga me, & memoriam ueteris nostræ

com-

consuetudinis recognoui. Sed quominus ad eas tum celeriter responderim, partim imbecillitas corporis, partim etiam publica hæc negotia, quæ nos hic anxios & solicitos admodum habent, aliquandiu retardarunt. Video enim Isidore, id quod tu quoque in literis tuis significas, rem communem nostram, hoc est, causam Christianæ religionis (quid enim est quod magis nostrum esse poßit?) eò deductam esse, ut grauissimorum concursum periculorum metuere debeamus: spe præsertim concordiæ penitus sublata, qua antea sustentabamur. Nam qui antea, cùm à nobis & ab Ecclesia Catholica grauiter dissentirent, omnia sua tamen Concilio se esse permissuros pollicebantur: nunc posteaquam indictum conuocatumq; Concilium est, cum retractent promißionem suam, plurimaq; dent indicia non solum non commutati pristini animi sui, uerum etiam in prauis opinionibus uehementius pertinacis: qua spe possumus niti, ut turbæ hæ, quæ omnia diuina humanaque permiscuerunt, aliquando pace consensioneq; tollantur? Atque utinam, quod tu uideris confidere, mea opera atque industria aliquid prodesse posset Christianæ Reip. nos hoc damnum uiolatæ perturbatæq; religionis, uel nostro ipsorum sanguine libenter redimeremus. Sed cum neque ingenio multum, & autoritate nihil posʃim: quod tantum mihi tu tribuis, id ego amori tuo erga me, non illi quo cæteris in rebus plurimum uales,

iudicio esse aßignandum puto. Verum quo se modo habeant Christianæ res, illa est spes nobis in Deum cõijcienda firmior, quod is pro sua summa perpetuaq; benignitate et clementia populos suos seruabit ab interitu: neq; gentem delectam ab sese nonnullorum scelere atq; perfidia dari in exitium uolet. Quam ego unam consolationem, nec aliam præterea ullam, his tot malis reperio. Fac ualeas, nosq; mutuo diligas. Rome, Calend. Sept. M. D. XLV.

M. Hieronymo Vidæ, Albæ Episcopo S.

Bemb. lib. 6. Famil.

AMabilißimas tuas accepi litteras Kalen. Iulij datas: quibus mihi de mea dignitate gratularis. Quas quidem litteras non libenter modo legi: sed etiam cupidißime auidißimeq; perlegi, ipso titulo perlectus: quod mihi à Vida; hoc est ab homine omnium nostri sæculi clarißimo mittebantur. Gaudeo recentem Pauli Pont. Max. cooptationem; qua me in Cardinalium collegium asciuit; tibi gratam & iocundam accidisse. Nihil enim malo; quàm à te tuiq; similibus, siqui sunt, diligi. Sed omnino siue sunt, siue non sunt; à te certè omnium maximè & amari, & probari cupio. Quod autem eam dignitatem meæ uel doctrinæ, uel uirtuti fuisse traditam existimas; easq; ornas miris laudibus: non dubito

bito; quin plus in eo duci te à beneuolentia, quàm à iudicio permiseris. Veruntamen, utcunque se res habet, debeo tibi, si minus de altero; de amore quidem certè erga me tuo sanè plurimum. In eo profectò non falleris; quod me meo otio meoq; uitæ genere contentum nihil de his bonorum splendoribus putas cogitauisse, neq; eos appetiisse. Nam; ut uerè tecum loquar; sæpius fit, ut peccasse me existimem; qui pristinam uiuendi rationem proiecerim: quàm gaudeā propterea, quod maxima clarißimaq; dignitate auctū me atq; honestatum sentiam. Quod uerò me hortaris; ut à studijs nostris mitioribus ad Christianam rem tractandā & iuuandam me conuertam: uelim sic existimes, me id unum dies noctesq; meditari. Quid enim aliud agam his insignibus & nominibus susceptis? Sed neq; dum Romæ sum; ut poßim boni aliquid in modium afferre: & quanta nobis mala impendeant, uides. Vt uerendum sit; ne qui reip. præsunt, sedare uniuersi tempestatem tantam non poßint: nedum mea unius industria hoc tempore magnopere sit profutura. Sed profectò reip. fluctuanti non deero: & ei operam, quam potero nauabo. Reliquum est, ut me, ut facis, diligas. Quòd si etiam litteras ad me, cùm otiosus eris, dederis: ut quid agas; quibus in studijs te oblectes; quid omnino scribas; scire poßim; erit mihi gratum. Vale. Nonis Augusti. M.D.XXXIX. Patauio.

Leo X. Ludouico Galliæ Regi.

Bemb. lib. 7. Pontifi.

DE Annæ Reginæ uxoris tuæ morte certior factus magnam sanè molestiam cepi: cum propterea quod feminam egregia singulariq; uirtute, & spectato in Deum ac Dei Ecclesiam cultu pietateq; amisimus: tum quia te pro tuo in illam laudabili amore, illiusq; in te, maximo esse dolore affectum multorum litteris intellexi. Accedit ad hæc, quod me illa, quasi patrem optatißimum pia amantißimaq; filia, incredibili obseruantia prosequebatur. Regnum etiam ipsum tuum cæteraq; gentes opis alienæ indigæ, in quas illa munificentiam exercebat suam: multum mihi amisisse in ea muliere bonæ spei atque præsidij uidebantur. Itaque pluribus & quidem iustis maximisq; de caussis uehementer is me nuntius perturbauit. Verum cùm optimã uiuendi rationem summamq; probitatem, & eximiam mulieris temperantiam tam amplo in imperio positæ, ceterasq; eius præstantißimas uirtutes animo repeteremus, & simul huius uitæ miserias atque horum temporum incommoda perturbationesq; respiceremus, in eam sententiam adducti sumus, ut bene cum ijs actum esse statueremus, qui hoc tempore mortem cum uita commutauissent. Deumq; Opt. Max. Annam Reginam ad sese, tanquam de terrarum æstu et fluctibus in portum, aut tanquam de flebili hospitio ad plenam hilaritatis paternam domum coelum ipsum beatorumq; concilium uocauisse, magno-

magnopere existimaremus ubi illa bene actæ uitæ præmia, & cùm liberalitatis atque beneficentiæ, quibus duabus uirtutibus supra mulierum captum enituit; tum uerò etiam temperantiæ patientiæq; suæ speratos fructus læta felicißimaq; perciperet. Quæ omnino cogitatio mœrorem quidem meum multum leuauit. Quare te hortor, ut eadem atque similia uel etiam meliora, quæ tua tibi uel prudentia, uel animi magnitudo facilè subministrabit, ad cogitationes tuas adbibeas, ægritudinemq; quam te uxoris tuæ morte contraxisse audio, leues ferasq; æquo animo quæ ferenda sunt: sunt autem ea omnia, quæ aliter se habere non queunt. In quo et tuam ipse temperantiam atque prudentiam maximè ostendes, & mihi, qui te unicè diligo, omnem mœrorem absterges, si te leuatū sensero. Datum, III. Calend. Febr. Anno primo. Romæ.

Paulo Sacrato, Ferrariam.

VT latinè ad me scriberes, homo tum domesticis curis, tum etiam sedandis, ut audio, multorum controuersijs aßiduè distentus, certè amor impulit, atque humanitas: & epistola tua ita mihi ornatè, ita copiose omnes non modo animi, uerum etiam ingenij tui partes expreßit, ut nihil unquā legerim libentius. Ego tibi antea, optime Sacrate, tribuebam sanè multa, quæ pauci consequuntur, prudentiam, integritatem. Manutius libro 5.

tem, doctrinam, maximè uerò præstantem quandam ad exolendas officijs amicitias & uoluntatis, & naturæ propensionē: istam uerò orationis exornandæ facultatem, quæ cùm multi temporis, magnæq; uidetur esse industriæ, tum uerò, ut ego sentio, atq; usu etiam didici, ab intimo quodam, planeq; recondito depromitur artificio, uix putabam tibi inter diuersa plane studia posse contingere. sed uidelicet id me fefellit, quod ingenium tuum cōmunibus metiebar exemplis: nec mihi ueniebat in mentem, auunculi tui Cardinalis, Iacobi Sadoleti, præceptis, & consuetudine domestica aditum tibi ad omnē gloriam esse patefactum. nam cùm ille cunctis uirtutibus, quas laudabit posteritas omnis, assequetur fortasse nemo, bonorum ac sapientium iudicio uirorum excelluerit: hac tamē in primis latinè scribendi laude ita floruit, ut ueteres illos propemodum æquauerit, nos quidem per eandem uiam cupientes excurrere, longè reliquerit. sed, ut ex epistola tua conijcio, conseruabis hoc quasi patrimoniū, familiæ uestræ proprium, & hæc tibi communis hæreditas erit cum patrueli fratre tuo, Paulo Sadoleto, quem omnes homines ad egregia quæq; natum intelligunt. Equidem in hoc mihi ipse plurimum gratulor, qui tibi harum litterarum, quibus nescio, an quidquā non modo humanius, uerum etiam ornatius esse possit, causam dederim. nam Iosephum Fasinardum, quē ob eius doctrinam, & mores egregios uehementer

amo,

amo, oblitum arbitror modestiæ suæ, cùm de me loqueretur, & utrumque uestrum in eo consensisse, ut ille, te libenter audiente, pro ueris falsa narraret, aut certè ueris plurimum affingeret, tu illi, plena manu, ut sæpè prodigus amor est, ea quæ prorsus non agnosco, in me conferenti, pro tuo in me studio libenter & facilè crederes. utinam quidem, qui uobis nunc esse uideor, is aliquando esse poßim: quod quia sperare non licet, ne cur optem quidem est. Vale. Venetijs.

LIBER TERTIUS.

Leo X. Francisco Gallorum Regi.



Hristophorus Longolius homo Gallus, cum tibi notus, tum uerò etiam deditißimus, optimarum artium studijs, quibus à puero in Gallia incubuerat, egregie eruditus, Græcarum litterarum facilius adipiscendarum causa Romam aliquod ante annis uenit. Quibus quidem literis mirificam operam triennium cum dedisset, suiq; interea ingenij & doctrinæ & planè uirtutis nomine ac morum probitate in meam familiaritatem cum uenisset, nobis non solum uolentibus, sed eius etiam studia stipe annua

Bembus lib. 16. Pōt.

annua fouentibus, Patauium se contulit: ut ea quoque in urbe celeberrimoq; doctrinarum omnium ludo sese coleret. Qua in urbe ita nunc quidem proficit, omnes ut homines, quibus est ipse notus atque cognitus, est autem prope uniuersæ iam Italiæ, magna sui spe expectationeq; impleuerit: cogatq; credere, si uita ei suppetat, in maximum clarißimumq; uirum ac nostris temporibus satis quidem eruditis longe præstantem breui illum facile euasurum, uel potius iam euasisse. Quæ cum ita sint, ego autem intelligam tam docto & claro iuueni nullas opes esse, quibus se alere, suaq; studia & uirtutes non solum illustrare, quod erat profecto æquißimum, uerum ne sustentare quidem ipse per se poßit: si unquam alias nunc quidem planè diligentißimè te hortor, uelis pro tua liberalitate uere regia & propenso in claros excellentesq; uiros, insigniq; doctrina præditos animo mandare atque efficere, ut primo quoque tempore aliquod eius tam singulari uirtute dignum illi sacerdotium tribuatur: quo is munere tibi deuinctus confectis suis studijs, quæ iam iamq;, ut audio, conficiet, & ad te reuerti id, quod ipse in primis cupit, & tibi præclaram aliquam nauare operam commodè & pacato animo poßit. Quanquam ne nos quidem interea aut nullo etiam tempore eius hominis commoda, cum se occasio dederit, sumus me hercule neglecturi, neque sanè curam, quam de illo semel suscepimus abiecturi. Id si tu, ut confidimus,

mus, cur iueris, apud ipsum præclarißimè posueris. Polliceor enim tibi, ac planè recipio, te magnos ex tuo beneficio uberrimosq; fructus, sempiternæ scilicet laudis atq; memoriæ, breui tempore percepturũ. Mihi autem, qui excellenti doctrina uiros præsertim cum probitate coniuncta in primis colere & diligere consueui, tam gratum feceris, ut ipse abs te in eo beneficium me accepisse sim existimaturus. Quemadmodum à legatis tuis, quibus cum ea de re loquutus sum, latius intelliges. Dat. VIII. Idus April. M. D. XXI. Anno nono. Roma.

Ant. Flamineo S.

CVm mihi à Stephano Saulio literæ sine tuis essent redditæ, sane commotus sum: sed tum me herculè multò magis cõturbatus, cum in extremis illis, quæ tibi non scribendi causa fuisset, legissem. efficit tamen officium tuum, quo te mihi per eius literas excusatum esse uoluisti, ut dolori, quẽ ex ista tua ualetudine traxeram, nonnihil uoluptatis aspergeretur: præsertim cum nec periculum grauius ullum denunciaret, & ipsum anni tempus saluberrimum, spem mihi non mediocrem ostenderet. Itaq; mihi officium tuum scito fuisse gratißimum: sed ita ut neq; salute tua quicquam mihi poßit esse antiquius, nec modo literas à te iam ullas non flagitem, sed ut de isto tuo potius in bonas artes studio aliquid remittas, etiam atq; etiam rogẽ. Noui naturæ tuæ infirmitatẽ: noui incredibilem tuam

Longolius lib. 3.

in omni percipienda humanitatis ui aßiduitatẽ. Quare si mihi quicquam credis, homini quem tute scis tibi esse amicißimum, & in alienis quidem dijudicandis causis minime stultum: da aliquid corpori, serui ualetudini: satis tibi sit, earum quas quærimus rerum nosse fontes & capita: rationem earum & uias ingenio tuo autore & cogitatione haud ita multa, modico certe studio consequêre, præsertim qui puer in leuioribus illis artium studijs operam optime posueris, & nunc in grauioribus extrema ista tua adolescẽtia iam tantum profeceris. Infinitam istam diligentiã, & immensam lectionem nobis relinque, qui quo minus natura atq; ingenio ualemus, & in rectam disciplinæ uiã tardius ingreßi sumus, eò cum nos approperare opus est, magis tum uero euigilare in studio diligentius, & labores omnes sufferre possumus facilius. Volo enim mi Flamini charißime, ut cum homines ingenium, industriam, doctrinam tuam admirabuntur: laudent etiã prudentiam, qua te bene usum esse omnes iudicabunt, si ocio pariter & ualetudini tuæ consuleris. Non temere hoc scribo, & ad quem scribam uideo. Cura igitur primùm, ut ualeas: Hoc enim nihil mihi facere potes gratius: deinde ut de tuo ad nos reditu aliquando cogites, & Saulium nostrum eodem uoces. postremò ut D. Saulius, si quando te uiset, & Hector noster, quem tibi semper aßidere non dubito, plurimam hic sibi à me salutem adscriptam esse intelligant. Sed tibi

plus

plus omnino oneris impono, quàm per ualetudinem tuam mihi liceat. Itaq; reliqua abijce, unius tuæ salutis rationem habe. De rerum nostrarum statu, si quid scire uoles: Saulium nostrum percunctator, ad quem uberes de eo literas misi. Etiam atq; etiam, mi Flamini uale. Ex urbe Patauio XIIII. Calen. Febr.

Ioan. Matthæo Giberto Episcopo Veronæ S.

REginaldus Polus ea uirtute, nobilitate, & doctrina uir, qua tu optime nostri, cúm reuerteretur in Italiam, pristinas (ut ego sentio) consuetudines doctorum hominum, & tuum inprimis conspectum appetens, ad me diuertit: ostenditq; mihi eas literas, quas tu ad illum sane quàm amicè eleganterq; scripseras. In quibus erat quoq; mentio mei & honorifica, & multa. quæ cum iudicium tuum de me, tum multò magis studium beneuolentiamq; declararet. Ego uerò, & si subito penè aduentu illius, ac festinatione discedendi occupatus, nec temporis satis ad scribendũ, nec animi habere poteram: tamen putaui esse nefas, illum ad te sine meis literis accedere. Itaque has continuo exaraui: non tam ut gratias tibi agerem, quòd me aßiduè in memoria haberes (etsi illæ quoque iure optimo tibi à me debentur,) quam ut indicarem tibi, summam me ex illis ipsis literis tuis cepisse uoluptatem, quod me abs te intelligam amari. Quanquam

Sadoletus lib. 3.

hoc quidem minimé nouum mihi accedit, sed eius tum semper iucunda est cōmemoratio. In quo te arbitror existimare, me non posteriores in te amando ferre partes. Verum harum rerum affirmatio iam toties iterata inter nos minus fortasse in hoc tempore necessaria est. Illum quod te magis auere scire puto, quibus ego nunc in studijs uerser uidelicet, quid mihi habeam propositum, ipse Reginaldus tibi exponere poterit, qui exiguum hoc tempus, quo mecum fuit, totū posuit in iniquirendo & percunctando, quæ mea studendi, aut scribendi ratio, qui animus, quod consilium esset: Cui ego plane omnium mearum actionum cogititionumq; rationem reddidi. Sed quod mihi in eo magnæ uoluptati fuit, uideor cognosce in illo, cum summum ingenium, & excellentem in Græcis Latinisq; scientiam: tum uero summam in moribus & cōgressu elegantiam atq; humanitatem. Quem hoc etiā nomine pluris facio, quod intellexi te ab eo incredibiliter amari: usq; eò ille de te, & de tuis rebus omnibus & amanter, & honorificè semper loquitur. Eum igitur habebis tu scilicet, nosq; in desiderio manebimus, & ipsius, & tui, & aliorum multorum: quorum familiaritas, & amicitia mihi & ornamento erat, & solatio. Sed hoc feremus, ut poterimus. Illud tibi de nobis persuasum esse uolumus, ut uerè apud nos perpetuo & memoriam & beneuolentiam tui, deq; tua mutua erga nos uoluntate nobis uicissim exploratum

esse

esse. Tu ut studia ea urgeas, quæ præclara & eximia maximo animo es aggressus, ualetudiniq; seruias, ualde te & hortor, & rogo. Nihil est quod maius, aut accommodatius ad beatam uitam facere possis. Vale. IIII. Non. Septemb. M. D. XXXII.

Petro Bembo S.

IAmpridem nihil scribo, quod multò auidius nummorũ aliquid istinc expectem, quàm uos ullas hinc literas. sed quando desiderium tui diutius ferre non possum, quod quidem mihi tum deniq; lenire uideor, cùm ad te scribo: nec tu quicquam tam longo interuallo ad me, ego scilicet ad te aliquid mittam. Fui Venetijs dies amplius quindecim, quos ipsos partim cũ Octauiano Grimoaldo in urbe, partim cum Andrea Nauagerio nostro Murani summa cum uoluptate traduxi. Huius in suburbano, cùm hortus ipse grato nobis spectaculo fuit, ita dimensus & descriptus, ut omnes tum pomarij, tum seminarij arborum ordines in quicuncem dirigantur, & exquisitissimo ambulationum topiario opere latera eius decumaniq; limitis cameræ conuestiantur: tum uerò omnem expectationem meam uicerunt mali aßyriæ plurimæ, suis quæq; interuallis discretæ, & in certum quoq; ordinem digestæ: quas eundem Nauagerium nostrum paucis ante mensibus seuisse audiebam, atq; incredibili quadam celeritate solertiaq; ad frugẽ perduxisse, fructu me hercule lætißimo, etenim cuius aspectu nihil sit pulchrius,

Longolius lib. 1.

 odore

odore suauius, gustatu iucundius, uarietate aūt atque magnitudine admirabilius. delectatur enim etiā agricolarum uoluptatibus, sed his honestioribus: & qua diligentia artes nostras colit, eadem profectò cū horto suo rationem habet. Sed ut ad coniunctiora nobis ueniam, scito ut primum Patauium ueni, perspexisse me, quantum uel gratia, uel auctoritate apud Marinum Georgium ualeres. Accersiuit enim ille me statim honorificentißimè, opesq; suas in tuenda uel salute uel dignitate nostra omnes mihi pollicitus est liberalißimè. facturum puto, nam de te mirificè & sentit & loquitur, neq; à studijs institutisq; nostris tam abhorret, quàm uulgo hominum opinione existimatur. Amoris erga me sui argumenta non obscura cùm iam dederit, tum certè ab intimis & necessarijs eius ita obseruor, ut & me amari putem, & ipsius merito hic tibi gratias omnino acturus fuerim, nisi omnem ex nostra neceßitudine gratiarum actionem sublatam esse uoluisses. Velim tamen illum certiorem facias, cùm mihi officium suum fuisse gratißimum, tum me etiam sibi gratias apud te egisse diligentißimè. Atq; ne tu quicquam rerum mearum ignores, eadem hic nunc est uitæ ocijq; nostri ratio, quæ æstate proxima fuit: nisi quòd aliquod noctis horas assumimus, ac per anni quidem tempus iam & liberalius exercemur, & in studia nostra acrius incumbimus. quæ quidē studia, quo etiā alacrius tueri poßimus, da (quæso) operam, ut pes-

ut pecunia nobis curetur: aut certè ut intelligã, quare ad eam Flauius nondũ peruenire potuerit. Iam quartam hanc epistolam ad te do, cùm tu adhuc ne scedulam quidem. quinta si te oppresserit, næ mihi longi temporis usuram longiore epistola dependes. Vale. Ex urbe Patauio. Calen. Decemb.

Riginaldo Polo S.

Magna me uoluptate tuæ litteræ affecerunt; quibus me ad beneuolentiam inter nos constituendam humanißimè prouocas: caussasq; affers, quibus adductus id facis. Nam cùm te antea diligerem; cùm primum intellexissem te planè adolescentem, clarißimis atq; adeò regibus ortum maioribus, bonarum artium ardore succensum, ex ultimis orbis terrarũ finibus Patauium uenisse: ut ea in urbe doctißimorumq; hominum conuentu, operam illis dares. tenererq; iam uehementi quodam studio cognoscendi & alloquendi tui: quanta me nunc demum esse affectum lætitia existimas; cùm ad id, quod spontè ipse cupiebam, inuitari me abs te per litteras uideam tam officiose, tam etiã eleganter scriptas; ut ista ipsa inuitatio tua, non humanitatis modo genere, sed etiã doctrinæ nomine eũ te esse facilè ostenderit: ut longè magis tua mihi quidem beneuolentia exoptanda et expetenda, quàm adhuc ipse statuerim, planè fuisse uideatur? Quod cùm ita sit, accesserit autem ad id nunc etiam Longolij nostri, qui mihi tuas litteras reddidit, honorificen- Bemb. lib. 5. Famil.

tißimis de te, tuisq; uirtutibus longus quidem, sæpeq; repetitus huius bidui sermo: quem ego uirũ propter eius excellens ingenium, singularemq; doctrinam facio plurimi; propter mores uitæq; probitatẽ fraternè amo. Complector te quidem Pole, atq; excipio, ut amanter meam beneuolentiam expetentem, certè amantißime; ut etiam humaniter me ad id prouocantem. hic uerò iam non habeo, in quo tibi æque mihi ipse uidear responsurus. Nam ut parem me tibi omni reliqua ex parte eius uirtutis, quæ humanitas dicitur, referendis officijs præbeam: certè prior iam ad te appellandum, cùm id ipse tua diligentia præripueris, esse nullo pacto possum. Quod quidem non humanitatis modo indicium magnæ cuiusdam, ac eximiæ, sed humanitas mihi esse ipsa omnis, suo cum robore atq; radicibus uidetur. Itaq; cùm in eo tibi concedam necesse sit; præsertim cùm ipse ijs opibus, ijs propinquis, ea deniq; sis fortuna; ut etiã si te ipse prior appelassem; quia tamen nihil afferre potuissem eiusmodi, multò sanè minus in meæ humanitatis facto, lumen eluceret, quàm eluceat in tuæ: efficiam profectò, ut in reliquis præstandis amicitiæ muneribus atq; partibus, id, in quo à fortuna uincor tua, recti ac propensi erga te animi mei studijs, officijs, diligentia planè sarciam. Scriberem plura: responderemq; ad reliquas epistolæ tuæ partes: nisi festinaret Longolius, equumq; posceret, utpote iam sine meis ad te litteris reuersurus.

Quam-

Quamobrem in aliam epistolam reliqua. Vnum hoc sic habeto; nihil mihi hoc in genere omni, præclara egregiaq; ista animi tui erga me declaratione, aut accidisse, aut accidere potuisse iocundius. Ex uilla Nouiana. Quinto Idus Iul. M. D. XXI.

Paulo Iouio Episcopo Nuceriæ S.

ETsi mihi dubium numquam fuit, quin abs te summopere diligerer: tamen & literæ tuæ plenißimæ amoris atq; officij, & ea quæ tuis uerbis Polus ad me detulit, quæq; ipse præterea commemorauit de te, planius mihi ostenderunt, tibi esse cordi & quietem & dignitatem meam: atq; ea que quotidianis ex lucubrationibus à me proficiscantur, pluris à te æstimari propter amorem, quam fortasse digna sint, Quam ego tuam erga me uoluntatem, ne uiuam mi Paule, nisi omnium rerum habeo charißimam. Nam cum tu singulari doctrina, uirtute, eloquentia præditus, is uir sis, ut tuum de quoq; iudicium maximi fieri debeat: tum uerò incredibilis illa comitas, & quædam rara iucunditas, quæ tibi à natura data atq; insita est, facit ut nihil te fieri poßit amabilius. Ex quo facilè potest existimari, quantum ego mihi ornamentum in tua amicitia esse constituam: cùm & propter ingenij & doctrinæ præstantiam, me ornare, & propter humanitatem suauitatemq; naturæ delectare etiam poßis: Sadoletus lib. 5.

non nolis aut utrunq; cuius quidem animi tui erga me plura habeo indicia ac testimonia. Sed accidit præteritis temporibus, ut cum & tu meam consuetudinem appeteres, & ego tuæ essem sitientissimus, potentioribus tamen concedere fuerit necesse, qui te totum sibi arripuerunt: cum tamen inter nos salua semper manserit amicitiæ coniunctio. Non enim ego unquam permisi, neq; permissurus sum, ut tu in amore me uincas. Multa me adducunt, ut neminem te pluris faciam, paucos pari atq; te beneuolētia prosequar. Sed eo nihil est ad meū uinciendum animū arctius, quod me à te amari intelligo. Eius rei duo signa habeo certissima: unum, quod locorum distunctio non imminuit beneuolentiam: alterum, quòd me tuis quotidie scriptis condecoras. Quæ si hoc solū afferrent, ut testificarentur te de me sæpissimè cogitare, ferreus nimirū essem, nisi te amarem affictim, ferremq; assiduè in oculis. Cùm uero scripta tua eiusmodi sint, ut immortalitatē mihi polliceantur: quid aut tuo in me officio maius, aut mea in te beneuolentia debet esse flagrantius? quam ostendam equidem tibi aliqua in re, mihi, crede: & si defuerint cætera, eodē te genere remunerabor: euentu fortasse impari, pari certe studio ac uoluntate. Itaq; & alia tantisper studia intermittā, sicuti tu mihi suades, et ad philosophiam me referam, quemadmodum idem tu mihi es autor: omnibusq; in rebus tuo iudicio atq; consilio utar libentissimè. Vtinam liceret nobis esse

unà

unà. Sed quando diuersis non solum locis, sed etiam opinionibus remoti absumus, quod ego in portu libenter maneo, tu illis adhuc undis et fluctibus delectaris: epistolis mißitandis inter nos assequamur, ut nũquam non unà esse uideamur. Quod te oro mi Paule suauißime, ut in eo me non deseras. Nihil mihi potest esse dulcius, quàm aut loqui tecum, quod iam ereptũ est: aut tuas legere litteras, in quo mihi morem gerere tuæ est potestatis. Quapropter tu qui omnes uenustatis atq; humanitatis articulos tenes, noli pati (obsecro) me hac tanta & tam exoptata uoluptate tuarum literarum carere. Vale. & nos dilige, tibiq; persuade te à me mirabiliter amari. Carpentoracti.

Gulielmo Budæo S.

QVód me de Longolij patrocinio Romæ suscepto tantopere laudas, equidem iuuenem incensum bonarũ artium studijs, eaq; causa domo tam longinqua profectũ, ac nil aliud dies ac noctes, non modo agentem, sed ne cogitantẽ quidem: optimis præterea moribus, excellẽti doctrina, summo ingenio, incredibili studio præditũ, ab inuidis neq; infimis hominibus nefariè circũuentũ, unà cũ uiro grauißimo omnibusq; uirtutibus, omni disciplinarum genere, omni cultu literarum nostra ætate longè præstanti Iacobo Sadoleto collega meo, eodemq; mihi uetere beneuolentia, cõsuetudine, studijs, sententijs, uoluntate, tota daniq; uita consociatißimo, alijsq; permultis libentißimè, atq; Bembus lib. 5.

etiam

etiam multò uerius cupidißimè defendi. Tametsi eo tempore aduersa ualetudine implicitus uoluntatem in eo defendendo adoremq; animi, quantum par erat, adhibere fortasse potui diligentiam, industriam, laboremq; non potui. Sed res ipsa & causa eiusmodi fuit, ut non sim tam laudandus, quòd Longolio affuerim, quàm essem improbandus, si defuissem. Valde tamen gaudeo meum in eo studium atq; officium tibi magno & præclaro uiro gratum optatumq; accidisse. Quod uerò etiam propterea tuam sim beneuolentiam consecutus, uideo meæ me non multæ operæ maximum uberrimumq; fructum percepisse. Reliqua puto te cognouisse ab ipso Longolio, cuius aduentus eo nobis gratior fuit, quod nihil de illo ad nos aliquod iam menses afferebatur. Eius ego consuetudine & conuictu, tum doctrina & studijs mirabiliter delector. Quid dixi ego? est iam in oculis nostrorum ciuium non modo priuatorum, sed planè etiam Senatus principumq; ciuitatis. Itaq; habet quosdam præstantis ingenij literisq; interioribus eruditos uiros, quibus cum est ferè quotidie, utiturq; ijs ualde familiariter: inuisitur à multis, amatur ab omnibus. Huius autem quod reliquum est, hyemis nobiscum, ut arbitror, conficiet rogatu meo, & simul quod ei potestas facta est à bibliotheca, quam publicè magis illam quidem instructam atq; uberem, quàm propositam & explicatam habemus, quos uolet libros promendi. Nam cùm sit in eo, ut de

ut de Catone scribit Cicero, inexhausta auiditas legendi, sitq́; is quasi librorum helluo, libri ipsi præclari atq; multi, breui exaturaturum sese illum in legendo non puto. Quanquàm de his, deq́; tota ratione studiorum suorum non dubito, quin te ipse diligenter reddat suis literis certiorem. Qui & si omnibus in sermonibus, collocutionibus nostris me mirificè semper delectat, suauißimeq́; detinet, nullis tamen de rebus illius sermo tam mihi est iucundus, quàm de te, quod quidem fit planè sæpißimè, sed hæc malo te ab illo. Tu si me tibi esse amicißimum existimabis, quæq́; à coniunctißimis expectantur proficisciq́; solent, ea tibi de me pollicêre, non fallam opinionem tuam. Etenim ut tibi non assentior, ut existimem fieri non posse tu mihi indigenti cuiuspiam regi copiam facere poßis, in quo tamen uerborum tuorum modestia sum delectatus, sic arbitror posse accidere, ut mea beneuolentia meaq́; opera tibi quoq; usui sit futura. Quod si accidet me in ære tuo esse, ut existimes, te etiam atq; etiam rogo. Vale. Venetijs. I. Non. Ianu.

Simoni Villanouano S.

PErgratæ mihi fuissent tuæ literæ, si quàm nobis luculentè ingenij tui elegantiam expresserunt, tam iucundum de uitæ tuæ rationibus nuncium attulissent. Sed id & antiquum est, & haud scio an etiam fato literarum quodam comparatum, ut quo quis ingenuas

Longolius lib. 2.

genuas artes complectatur studiosius, hoc fortunæ fluctibus iactetur acerbius. Hæc enim, ne forte nescias, mihi tecum est communis querela. nam etsi ipse nulla insigni, ut tunc quidem est, rei familiaris inopia premor, illud tamen eiusdem fortunæ iniuria commissum esse uideo, ut ea sit rerum mearum tenuitas atq; angustia, ut tibi ista spe, ista probitate adolescenti, auxiliū meum imploranti, non dico non opitulari, quod ipsum per se miserum est, sed uix benignè quicquam polliceri poßim. Ego enim, quod te satis intelligere existimo, pari literarum studio incensus & afflictus procul à patria uitam ago, non meis iam, aut quod par erat, meorum, sed planè alienis opibus casus meos sustentans. Verum quando nemini uni omnia Deus conceßit, nec ego quicquam ocio nostro esse ducam uel iucundius, uel honestius, facilè patior apud cæteros plus opum residere. mihi certè nunquàm in mentem uenit istorum, cuiquam inuidere, quorum abs te insolentiam & iactationem ferri posse negas. Idem ipse de te censeo statuas, nec te inanibus istis curis conficias. paruo tibi ad tuenda studia tua sumptu opus est, is autem nusquam homini studioso & frugi deesse potest. Sed ad epistolam tuam: in qua quod te mihi de literarum tuarum silentio tam multis uerbis purgares, nihil sane necesse fuit. Quam enim ipse mihi in eo scribendi genere legem dixi, hanc cæteris quoque omnibus dictam uelim; ut tum denique literis, cum

id uel

id uel nostra, uel amicorum intersit, utamur. Reliqua epistolarum genera, etsi me non parũ delectant, præsertim quas homo neq; stultus neq; infans conscripserit, ea tamen ab amicis non magnopere exquiro, quorum officium ad mutuam animorum uoluntatem, non ad inania hæc studia, semper referendum esse iudicaui. Sic igitur facies, & per me quidem tacebis cũ uoles, & quandiu uoles: ita tamen, ut mihi literarũ tuarũ sermo cessatione gratior sit futurus: sed ea, ut dixi, conditione, ne tu in eo parẽ à me uel gratiã expectes, uel diligentiã. Vix enim credas, quã mihi in tãto ocio scribũdis literis parũ uacet. Quod porro te nobiscũ uiuere uelle ostẽdis, est id mihi quidẽ gratißimum: sed quia te ea in re iuuare poßim hoc tẽpore, non planè uideo. Persequar tamẽ uias omneis, ut mihi consuetudinẽ tuã in optatis maximè fuisse aliquando intelligas quanquã id te iam intellexisse literæ tuæ significabãt. & certe ita est. Amaui te quo primum die cognoui, spectauiq; ex eo tempore semper, quemadmodum nobis de studiorum nostrorum rationibus inter nos cõmentari sæpius liceret: uerum nescius quid tu ea in re animi haberes, curaui id scilicet ad huc lentius, quàm animorum nostrorum coniunctio postulare uideatur. Nunc etsi mihi consiliorum tuorum rationes significasti magis, quàm explicuisti, tamen uidebimus diligenter aliquid, in quo sit tum, certa tuendi ocij tui fides (hoc enim mecum agere uideris) tum eius quam

mihi tecum intercedere uelim consuetudinis exploratam facultas. Tu fac interim animo sis magno, nec quicquam esse putes tanti, quod studiorum tuorum iter interrumpat. Quæ nunc iacet afflicta, emerget, mihi crede, aliquando uirtus. Vale. Ex urbe Patauio, Nono Calend. Iun.

Octauiano Ferrario, Mediolanum.

Manutius libro 10.

MI Ferrari, si me tantum amas, quantum profectò amas; gratulari te mihi æquum est, quòd exoptatæ diu patriæ compos deniq; factus post annos decem, tenui fortuna contentus ita uiuo, ut Regum opes honoresq; contemnam; carebam otio, studijs, rebus multis ad meam naturam aptis: quæ mihi nunc omnia Dei benignitas restituit: ijsq; fruor eo suauius, quo fit usus desiderij diuturnitate iucundior. Si quid præterea non tam de meo, quàm de meorum statu scire uis, ut ferè, qui amant, curiosi sunt omnes, hæc accipe: Vxor & filius in urbe, commoda uterq; ualetudine, illa rem domesticam, hic officinam, emendandorumq; librorum curam administrat egregiè. Mihi tædio diutinæ commorationis urbanæ, rusticari uehementer placet; quo primùm afflictæ diuturnò morbo ualetudini consulimus: & imbecillo corpori uires addimus; deinde quasi quibusdam exsolutus uinculis, liberè uagatur, & uoluptate pascitur animus honestißima: nullis hic angimur curis, nullis implicamur negotijs: licet id quod anteà nunquam licuit,

prorsus

prorsus nihil agere, si uolumus: & quod licet, sæpè uolumus, nam uehi curru, oppida inuisere propinqua, amicorum uillulas obire, conuiuari etiam interdum, suauißimisq; epulas condire sermonibus, hoc ipsum uoco nihil agere. quamquam qui ualetudine parũ firma, operam dat, ut suauiter, iucundè, & honestè simul uiuat, is profectò nihil agere mihi non uidetur. Sed in hoc tamen uitæ genere libros, communes delicias nostras, abiecisse me penitus, nolim existimes, nobiscum ubiq; sunt, comites numquàm molesti. loquentes, silentes, cùm uolumus, quoad uolumus: & quamquàm ueteris morbi reliquiæ quædam supersunt, & uires adhuc languent; quiddam tamen aggredi sum ausus: quod si, ut spero, absoluam: & si ut principia se dare uidentur, ita procedat industria, uel à te probabitur: (à te cum dico, qui subtiliter & sincerè iudicant, simul omnes intelligo. tu enim is es, quem nec opinio fallat, nec uoluntas à ueritate detorqueat) uel quin me putes omnis expertem ingenij, nec de mea, nec de cuiusquàm omnino facultate statuere, & existimare quidquam posse, non recuso. Locus ipse me uacuus interpellatoribus, & hæc uiuendi arbitratu meo, rerum omnium dulcißima, optata anteà potius, quam sperata libertas inuitauit, ut ordirer id, quod, nisi sedem hic statuo, aut certè nisi in hoc secessu, & in hac pæne solitudine (nam si cum urbe conferatur, quamquam celebre satis oppidũ, solitudo tamen quæ-

dam uideri poßit) maiorem anni partem consumpsero, uereor ne serò admodum, fortasse etiam pertexere numquàm liceat. opus est, nec temporis nec laboris exiguit; Tempus hic, ut uideo, deesse non potest: laborem communis utilitatis gratia, numquàm adducar, ut fugiam: interim tamen, superiore periculo admonitus, operæ curæq; plus in ualetudinem, quàm in studia conferam. Vale. Ex opido Plebe Sacci, V I. Idus Nouemb. M.D. L X X.

Gregorio Cortesio S.

Longolius lib. 1.

QVod posteaquàm in Italiam redij, nihil ad te literarum dedi, id profectò neq; obliuione tui factum est, qui etiam si uelim, tui tamen obliuisci non poßim, ita frequens & iucundus nobis hic est de te quotidie sermo: neq; sanè quin esset, quod per literas tecum agere uellē, sed quòd ea erant in manibus, quæ nec literis, nec cuiuis rectè committi possent. Rem tenes, genus tabellariorum nosti. Nunc aūt cùm rationem ad te tuto scribēdi inierim, scito mihi magis magisq; quotidie de rationibus tuis cogitanti, non iam placere ad rem, ea quam tibi istic ostenderam uia aggredi, ne si quid offendatur, iniquorum sermonibus detur locus, quos uel minima re ad deridendum contētos fore uideò: sin ut uolo & opto cadat, ne rem mali exempli instituisse, nec tam doctrinæ studio, quàm religionis odio eò confugisse existimemur. Quinetiā non

non poßint multorũ sustineri causæ, si tibi quod postulas à Pont. Max. uni concedatur: nec tu nõ temerè de iudicio principũ tuorũ aut iudicasse aut desperasse, qui rem tam honestã ab eis non petendã esse duxisset. Huc accedit grauis illa inter uos, & Pont. Maximũ controuersia, ut ne si exploratum quidem sit illius nos compotes fieri posse, tamen uelim hoc tẽpore, ne ordinem deseruisse, uel etiam data occasione turpiter transfugisse potius, quam studijs nostris præsidium quæsiuisse ullum, uideamur. Equidem cum nostra plurimum interesse arbitror grauitatem ut tueamur, neque tam docti quam boni ueri hominum opinione habeamur: tum uerò te non omni solum cupiditate, sed omni etiam cupiditatis suspicione carere uelim. Nec enim nescis, tametsi uoluntatem ea in re tuam, quasi ambitiosam & inanem bonus nemo reprehendere poßit, quàm tamen difficile sit, his præsertim moribus, consiliorum nostrorum rationes uulgo probare. Atque si Romæ nunc essem, ipse tibi negotium nullo maiore negotio per me conficerem, operam quidem profecto, studium, consilium, fidem, rem deniq; meam in eo tibi diligẽter nauarem. Absens rem tantam per interpretes moliri sine periculo qui possum? Itaque ne per Sadoletum quidem nostrum quicqnam mihi conandum arbitror, præsertim cum crebris amicorũ & ipsius maxime Sadoleti literis Romam uocer, quo si me aliquando contulero, omnes uias persequar,

quibus ad id quod cupis peruenire posse putem. Sed audi casum plane diuinum: scribente me hæc ipsa anxie, repente nuncius, rem in conuentu uestro ex sententia nostra confectam esse: habere iam te omnium munerum uacationem: tantum sodalitatis tuæ studiosis omnibus ocij publico patrum decreto impertitũ, quantum tu uix uel per nos, uel à Pont. Maximo consequi potuisses. Quid quæris? Sustuli manus, neq; à consilio & deliberatione ad gratulationem totũ conuerti: præsertim qui eam rem non modo facultatem apud tuos habuisse, quod uel ipsum plane desperabã, sed summo etiam totius conuentus assensu comprobatam fuisse perspicerem. Quapropter fruere isto mi Cortesi ocio: quo nihil neq; tibi accommodatius, neq; sodalitati tuæ ornatius, neq; nobis amicis tuis iucundius contingere potuisse iudico. Vale ex urbe Patauio. IIII. Calend. Iun.

Camillo Paleotto Bononiam.

Manutius lib. 10.

PVtasti ne umquàm fore, ut ego me Romanorum occupationum è uinculis eximerem? certè factũ uides. nec mihi uenit in mentem eius consilij pœnitere: quin quotidie magis gratulor, quod illa reliquerim, hæc sim adeptus: quod ab omni cura liber otiò fruar honestißimo: quòd ea nunc deniq; studia recolere mihi liceat, à quibus disiunctus tot annos uixi, uel potius plane non uixi; quæ enim potest esse uita sine litteris? ualeat ambitio, & fucatus opum splendor, nihil

nihil est quod cum suauißima librorum consuetudine conferri iure poßit, qua mente cum essem, commisi tamen, ut aliter sensisse uidear, cùm sententiam numquàm mutauerim. nam ad urbem Romam eo quidem consilio sum profectus, domesticis ut rationibus consulerem, simul tamen id spectans, ne delicias meas optimarum studia doctrinarum prorsus deserem. aliter accidit, quis me accuset inconstantiæ: uicit meam uoluntatem potestas eorum, quibus, ut æquum est, non minus libēter, quàm necessariò, parui. sed mitto præterita, quasi enim, ea dum attingo, uulneris obductam cicatricem renouo. Hic me propinqui, familiares, noti pariter atq; ignoti, redeuntem excepere uoluptate summa. Vrbem priuatis ædificijs elegantiorem, & publicis operibus magnificentiorem, quam reliqueram, inueni præterea, quamquam ardente bello, florentem ut in summa pace rebus omnibus, quæ uel ad usum corporis, uel ad animi delectationē pertinent: quo dolore interdum, ac pæne mihi succensere cogor, qui tot bonis, tanta tranquillitate, tanto etiam nobilium uirorum erga me amore tam diu me carere sum passus. lucri tamen id factum est, quod, nisi hinc discessissem, diuq; abfuissem, hæc ipsa profecto, quibus nunc ex interuallo recuperatis iucundißimè fruor, numquam omnino, quanti essent, intelligere potuissem. Itaq; est, cur immortali Deo gratias agam, habeamq; maximas; quod mihi occasione grauißimi mor-

bi, mißionis à Pontifice petendæ, ipsiq; Pontifici concedendæ mentem attulerit. alioqui nec satis decorum putassem, nec unquã omnino cõmisissem, ut ante pactam diem negocium publicum urbemq; relinquerem. In discessu commoda quædam sperabantur: nec defuit intercedentiũ dignitas, auctoritas, gratia; ratio temporum est aduersata, Pontifice natura liberalißimo, Turcicum bellum, & præsentis futuriq; sumptus necessitatem excusante. mirum id uideri nonnullis, ego, qui propemodum id, quod accidit, opinione iam præceperã, non sum commotus, ipsoq; mißionis impetratæ munere contentus, cætera non dixerim equidem contemnens, sed certè non maximi pendens, otij cupidus, nihilo lætior discessi. Nunc habeo cum ualetudine negotium, eius enim morbi, quo me scis, Romæ dum essem, nec parum diu, nec leuiter laborasse, molestæ admodum reliquiæ sunt. sed, ut spero sublatis iam caussis, quæ morbum & pepererant, & alebant, sedulitate, ac fideli meorum cura, adiuuante etiam huius cæli, quod in lucem editus primũ hausi, benignitate, breui, omnino conualescam. Tu interea fac ne officium desiderem literarum tuarum. Vale. Venetijs.

Bapt. Egnatio S:

Longolius lib. 4.

M*isit ad me literas tuas hodie Romulus Amasæus, iucundas illas quidem mihi & expectatas, sed eo sanè tempore à te scriptas, cum hic de Villanouano iam confecissemus. Collocatus est enim à nobis*

apud adolescentem quendam cum honesto in primis loco natum, & optimis deditum studijs, tum eo etiam fortunæ splendore ornatum, & sic erga Villanouanum animatum, ut utrique optime consultum arbitremur. Quamobrem cum iam nihil est quod eius causa labores, tum uero tibi & meo & ipsius Villanouani nomine gratias ago, quam possum maximas: non de eo solum, quod mea causa in eum contulisti & studij & officij, sed de tua quoque ad eum suscipiendum, si res coegisset, uoluntate, quam mihi per literas tuas hnmanißimè atq; liberalißimè detulisti. Equidem, etsi domo tua non est usus, tamen quia eam illi patere uoluisti, perinde me tibi astrictum iudico, ac si apud te uixisset. Quod autem tua interiore epistola grauiorem te mihi aduersarium constituis, quam ij fuerint ipsi, qui me Romæ indignißimè diuexarunt: iocaris tu quidem in eo acutè, nec amicè minus, quam oportune, qui nunc deniq; lite secundũ me à Senatu, P.Q.R. honorificẽtißimè data, in capitis iudiciũ me tam longo interuallo retrahas, et unus ex omnibus iugulum hostiliter petas meum. Sed nihil agis. Veritas multorũ gladijs peti potest, iugulari non potest. Nec enim quod tibi quasi telum acerrimum sumis, ingratus in patriam uideri possum, qui me Maclinienſem semper & ubique sum professus, ea que de Macliniæ ornamentis & tum prædicaui, & postea scripsi, quæ perpetuo meæ in patriam charitatis testimonio

bi, mißionis à Pontifice petendæ, ipsiq; Pontifici concedendæ mentem attulerit. alioqui nec satis decorum putassem, nec unquã omnino cõmisissem, ut ante pactam diem negocium publicum urbemq; relinquerem. In discessu commoda quædam sperabantur: nec defuit intercedentiũ dignitas, auctoritas, gratia; ratio temporum est aduersata, Pontifice natura liberalißimo, Turcicum bellum, & præsentis futuriq; sumptus necessitatem excusante. mirum id uideri nonnullis, ego, qui propemodum id, quod accidit, opinione iam præceperã, non sum commotus, ipsoq; mißionis impetratæ munere contentus, cætera non dixerim equidem contemnens, sed certè non maximi pendens, otij cupidus, nihilo lætior discessi. Nunc habeo cum ualetudine negotium, eius enim morbi, quo me scis, Romæ dum essem, nec parum diu, nec leuiter laborasse, molestæ admodum reliquiæ sunt. sed, ut spero sublatis iam caussis, quæ morbum & pepererant, & alebant, sedulitate, ac fideli meorum cura, adiuuante etiam huius cæli, quod in lucem editus primũ hausi, benignitate, breui, omnino conualescam. Tu interea fac ne officium desiderem literarum tuarum. Vale. Venetijs.

Bapt. Egnatio S:

Longolius lib. 4.

Misit ad me literas tuas hodie Romulus Amasæus, iucundas illas quidem mihi & expectatas, sed eo sanè tempore à te scriptas, cum hic de Villanouano iam confecissemus. Collocatus est enim à nobis

apud

apud adolescentem quendam cum honesto in primis loco natum, & optimis deditum studijs, tum eo etiam fortunæ splendore ornatum, & sic erga Villanouanum animatum, ut utrique optime consultum arbitremur. Quamobrem cum iam nihil est quod eius causa labores, tum uero tibi & meo & ipsius Villanouani nomine gratias ago, quam possum maximas: non de eo solum, quod mea causa in eum contulisti & studij & officij, sed de tua quoque ad eum suscipiendum, si res coegisset, uoluntate, quam mihi per literas tuas hnmanißimè atq; liberalißimè detulisti. Equidem, etsi domo tua non est usus, tamen quia eam illi patere uoluisti, perinde me tibi astrictum iudico, ac si apud te uixisset. Quod autem tua interiore epistola grauiorem te mihi aduersarium constituis, quam ij fuerint ipsi, qui me Romæ indignißimè diuexarunt: iocaris tu quidem in eo acutè, nec amicè minus, quam oportune, qui nunc deniq; lite secundũ me à Senatu, P.Q.R. honorificẽtißimè data, in capitis iudiciũ me tam longo interuallo retrahas, et unus ex omnibus iugulum hostiliter petas meum. Sed nihil agis. Veritas multorũ gladijs peti potest, iugulari non potest. Nec enim quod tibi quasi telum acerrimum sumis, ingratus in patriam uideri possum, qui me Maclinienſem semper & ubique sum professus, ea que de Macliniæ ornamentis & tum prædicaui, & postea scripsi, quæ perpetuo meæ in patriam charitatis testimonio

fore non despero. At Gallus uideri mauis quàm Germanus. Ne istius quidem unde coniecturam ducas, uideo. tu quidem certe nihil affers, cur ita tibi uideri debeam. Sed nec ea sane res ad Macliniam quicquam pertinet, quæ siue Galliæ attribuatur, siue Germaniæ, nihilo inde obscurior sit, aut illustrior. Non enim ullo nationis & circumfusarum gentiū nomine clara est: sed tum ciuium suorum uirtute atq; gloria, tum ipsius urbis elegantia & amœnitate celebris hominum memoriæ atq; beneuolentia commendata est. Carolus quidem Cæsar inter tot regnorum nomina, inter tot imperij titulos, Macliniensem principem sese inscribit, idq; more maiorum qui eam quasi nullius prouinciæ regionibus circumscriptam, numero semper exemerunt, & unde finitimæ gentes omnes ius peterent, esse uoluerunt. Ac profecto sic se res habet, quemadmodum in altera defensionum mearum oratione dispu-tatui. Dijudicari uix potest, Germaniæ Maclinia sit, an Galliæ. Facit lingua, imperium, uulgi opinio, ut Germaniæ adscribenda uideatur: rursus hominum ingenia, mores, uictus, uestitus, ac ille gentium omnium celebratus monimentis Galliæ ac Germaniæ limes Rhenus, eam Galliæ adiudicat. Quæ quidem mihi causa est, ut utriusq; honestißime cupiam, & hos bellorū motus inter eos componi exoptem potius, quam alteros cum aperta Reip. Christianæ pernicie uincere aut uinci. Sed ad id redeo, quod ais cæcos fuisse aduer-

sarios

ſarios meos, qui illud de duabus ſellis uiderint. Viderunt Egnati, & in altercatione etiam mihi obiecerunt: ſed contrà atq; tu. nam cum à me quærerent cuiatis eſſem, qui nec Gallus nec Germanus eſſem: ita occurri, ut me & Gallum eſſe & Germanum dicere. hic de duabus ſellis cum neſcio quid illi cauillarentur, etiam tribus me ſedere dixi, qui præterea Romanus iam eſſem. hoc illis non ferentibus, & os hominis clamantibus: reſpondi, quod negare non poterant, Mundanum eſſe me, & patriam à me eam duci meam, ubicunq; & mihi & uirtuti locus eſſet. Atq; ita ſane eſt: ciues meos eos numero omneis, quicunq; nec à pietate Chriſtiana, nec à literis noſtris abhorreant: nec tum Romæ tam de adipiſcenda ciuitate condenti, quæ nec opinandi & abſenti delata eſſet, quam ne improborum quorundam hominum conſpiratione ex ea turpiter eijcerer. Hæc ad te ſcripſi paulò uerboſius fortaſſe, quam tu uelles: ſed in eo te offendi, quod longiori illi tuæ diſputationi plenius reſponderim, tu me uoluminibus poſthac obruas tuis licet. Vale, & me, quod facis, ama. Patauij. Tertio Non. Mart.

Franciſco Richardoto Epiſcopo Atrebatenſi.

CVm antea tibi, ex hominis mihi amiciſſimi, tuiq; ſtudioſiſſimi, ſingularis uiri, Octauij Pantagathi ſermone tribuebam plurimum, ac te nondum mihi de facie notum, colere tamen & diligere non uulgariter cœpe- Manutius lib. 6.

cœperã: tum uerò, ut legi orationẽ tuam, nuper habitam in Synodo Cameracensi, qua nescio an quidquam adhuc uiderim præstantius, dici uix potest, ad meũ de te iudicium, quantum etiam ad amorẽ accesserit. Vidi enim, ut in tabella pictam, atq; expressam, ingenij, doctrinæq; tuæ imaginẽ excellentem: quam intuẽs, amore tui sum incensus incredibili, sic, ut ardẽtius esse nihil poßit. & , quamquã aßiduis distinebar curis, feci tamen, studio scilicet impulsus, ut his tibi litteris aliquã uoluntatis in te meæ significationem darem. nam, etsi tu is es, cuius uirtutes, quasi pleno theatro spectatæ, iam ita notæ sunt, ut nec augeri cuiusquam præconio, nec minui uituperatione poßint: me tamen ita animatum esse uelim existimes, ut, cum multi certatim te ornent laudibus, ego tamen in eo uel principatum appetam, uel superiorem certè feram neminem. Nam quod te de studijs meis non peßimè sentire, & Ioannes Richardotus, præclara indole iuuenis, natus ad omnem laudem, planeque te auunculo dignus, affirmat, & litteræ tuæ, ad illum scriptæ, significant: Valde triumpho atque istam opinionem, mihi credo, beatorum hominum copijs, atque opinionibus non comparo solum, uerum etiam antepono, quid enim optabilius, quam ijs placere, quorum uirtus, & uita, tum principibus uiris, tum etiam populo placet uniuerso? quid autem accidere cuiquam poßit illustrius, quam ad te laudari, qui ita

uiuis

uiuis, ut nihil agas, nihil expetendum putes, nisi cum eximia laude coniunctum: notum enim genus est institutorum tuorum, nota industria, notæ curæ pro salute animarum uel tuenda, uel recuperāda. Scimus quos ex ingenio tuo fructus Arrebates tui partim iam colligant, partim etiam expectent: dicerem, nobis inuidentibus, si aut in Christianum inuidia caderet, aut ex eo genere uirtus esset, quæ non longè distribui, non communicari paßim facilè posset. quod cum ita sit, non committam tamen, ut te horter, ut ad nos quoq; tua scripta peruenire uelis. quod enim publicè profuturum uidetur, in eo neque cuiusquam hortationi bonitas tua, neque consilio prudentia locum relinquit. Lætabor potius, quod ea sis & uoluntate & uirtute præditus, ut optimè de Christiana Rep. mereri, eamq; miseris temporibus labefactatam confirmare maximè poßis; quo facto inibis maximam gratiam ab omnibus bonis, tibiq; perennem gloriam, & ea quæ summis meritis proposita sunt, præmia cōsequeris. A me uelim, si quid tua, tuorumq; caussa præstare poßsim, quamquam tu firmus ab omni re sis, & quam ego imbecillus, intelligo: ueruntamen, si acciderit, ut uel amplitudini, gloriæq; tuæ, uel eorum, qui tibi chari sunt, commodis seruire poßim, expectabis eadem à me, quæ soles ab ijs, quorum ualde cognitam habes fidem, beneuolentiam, obseruantiam. dabo operam & assequar, ut spero ut opinioni tuæ officia mea respon-

respondeant. studium quidem, si res poscet, extabit eiusmodi, ut nec obscurum esse nec mediocre uideri posit. Vale. Romae. Prid. Idus Septemb. M.D.LXV.

Nicolao Draconi. S.

Longolius lib. 4.

IAm literas tuas desiderare incipiebam, cùm mihi oportunè ad IX. Cal. Sextil. epistolae est à te reddita, in qua illud mihi sanè iucundũ fuit, atq; haud scio an etiam iucundißimum, quod te M. Tullij Ciceronis studiosiorem iam factum esse cognoui. Certe enim non modo quaedam aspersisti, quae mihi eiusce rei significationem darem minimè obscuram, sed etiam genere toto Ciceronianum quiddam mihi uisa est redolere. Laudo consilium, ac simul te pro mutuo inter nos amore, ad eius scriptoris lectionem etiam atq; etiam uehementer cohortor, uel currentem potius incito. Etenim si latina lingua non iam domestico, aut forensi ullo usu, sed tacita quadam mutuorum doctorũ consuetudine percipienda est: cui nos tandem potius ad discendum demus, quam illi qui omnium aetatum iudicio habitus sit omnium eruditorum eloquentißimus, eloquentium eruditißimus? Equidem sic ipse statuo, primum fieri non posse, ut quis cogitata sua praeclarè satis & ornatè latinis uerbis complectatur, qui non Ciceronis scripta diligenter & attentè perlegerit. Deinde eum qui illius libros multum & studiose uoluerit, si quidẽ mediocri aliqua sit prudentia praeditus, ea ipsa multis aliquando fore admirabilem: sin

modica

modica uel etiam exigua tinctus, sic tamen inuenta sua literis mandaturum, ut in his nihil neq; puditum, neq; ineptum à quoquam deprehendatur. Nec enim ego Ciceronem ex ea solum parte solitus sum mirari, quod accurata quadam orationis ubertate & copia omneis, qui unquam usquam floruerunt oratores facile superarit: sed quod ea sit, tum in excogitando ingenij subtilitate, ut nemo acutior, tum in collocandis & distribuendis rebus prudentia atq; iudicio, ut nihil ne fingi quidem poßit cautius atque omnino aptius. Huc accedit non iam humana illa sed plane diuina quædam orationis forma, quæ cum elegantia et dignitate sit præstantißima, tum uero ea est facilitate atq; uenustate condita, ut quæ grauißima sunt & ornatißima, & certis numeris studiosius astricta, illaborata tamen & simplicia & soluta liberius fluere uideantur. Hunc tu igitur, quod facis, & admirabere in primis, & quoad eius fieri poterit, etiam imitabere. Vt enim nulla eius laudem consequare industria, magnũ tamen id erit & egregium, quod assequere, si optimo, quamuis magno interuallo, fueris proximus, aut etiã in tertijs, atq; adeo in quartis constiteris. Sed aliò delapsus sum, qui ad literas modo tuas rescribere in animo haberem. Non potui scilicet facere, quin tibi paulo uberius explicarem, quam mihi in Cicerone persequendo consilium probaretur tuum. Ergo ad literas tuas: in quibus quod ais Fuluio mihi autoritate tua

fuisse

fuisse opus, idem ille mihi quoque scripsit: qua ex re duplicem cepi uoluptatem, & quod tu ea molestia caruisses, (molestum enim tibi scio futurum fuisse, tum in urbem uenire hoc tempore, tum uero magis ab institutis studijs tuis abduci) et quod affines illi tui, sese fratri suo æquos & faciles præstitissent. Veruntamen est quod tibi gratias nihilominus agam, qui te mea causa omnia fuisse facturum, & adhuc esse, si res coget, ostendas. Fuluium ipsum uelim in hac studiosæ uitæ uoluntate oratione tua confirmes, confirmatum & uiatico instructum ad nos primo quoq; tempore remittas. Nam tu quidem, si sapis, ex istis locis migrabis numquam, qui eam istic degas uitam, præ qua meũ mihi iam ingratum sit ocium: de quo tamẽ uix credas, quam ipse me beatam aliquando existimarim. Auium concentu è lectulo ad literas mane excitari: à libris circum florida prata, circũ amœnissimos colles oberrare: ab ambulatione, conuiuis istiusmodi & sermonibus perfrui, dum calor se frangat, aut in opaca suauiter umbra meridiari, aut altiore in loco, leuioribus balistis & scorpionibus certioris dexteræ & obtutus periculum facere. Inde admissis equis ad uenãdum exire: postea se in bibliothecam addere, ubi lectioni modum nõ satietas, sed ratio ipsa statuat. Adijcis ad hæc lautas & magnificas nescio quas cœnas, ab ijs uerò ipsis molliores quasdam ambulatiunculas & literatas collocutiones: postremò suaues & delicatos illos

somnos.

somnos. Ne uiuam, nisi ista eiusmodi sunt, ut ad ea uel spectanda mare transiturus fuerim, si quid uspiam tale existere suspicatus essem. Quid nunc censes cum me isto, ad tantæ coëundam fœlicitatis societatē: tam liberaliter inuitatum uocetis? Noctes, mihi credes, ac dies istuc cogito, uel potius euolare cupio. Quare fac me circiter Idus Septembris expectes. Adero enim ad eam diem, Deo iuuante, nec ante ad reliquum peregrinationis obeundum progrediar, quam omnem uitæ studiorumq́; rationem penitus perspexero, id est, ipse me uobiscum aliquot dies in ista agrorum amœnitate oblectaro. Vale. Patauij.

Nicasio Casletano, Patauium.

PAtauium te uenisse, quæ semper urbs officina quædam est habita doctrinæ: lætor equidem communium studiorum caussa plurimùm. cerno enim iam animo, ubi tu philosophiam cum eloquentia coniunxeris, quantum ornamenti literis nostris, quantum splendoris accedet: sed mecū actum est incommodius, qui, quo tempore nobis, unius diei tantum interuallo disiunctis, præsentes amicitiæ nostre fructus nullo negocio capere licuisset, quo mihi optatius aut iucundius esse nihil poterit, tunc abesse à te cogor, & omnem suauitatis, delectationisq́; nostræ spem in mutuo litterarum officio reponere. crede mihi, hac ego cura uehemēter angor: quippe, cuius imaginē humanitatis, ingenij, eloquentiæ, iam pridem uidi in epistolis tuis, ac se- Manutius lib. 6.

ac sæpe sum animo contemplatus, ea si propius adspicerem, qua lætitia, qua uoluptate perfunderer & ualeant, si qui aut opes, aut honorum insignia, uel illustrium uirorum ambitiosas salutationes tanti æstimant, ut hæc bonis, iucundis, sapientibus, id est, tui quam simillimis amicis anteponant. Accedit ex occupationibus molestia, quibus impedior, quo minus te cum per litteras quam sæpißimè colloquar. quod ob eam quoque caussam ad te scribo, ne mihi uitio uertas, neuè obliuione mea potius, quàm negotiorum multitudine, factum suspiceris, quod pauló serius fortasse, quàm exspectabas, epistolæ tuæ respōderim. nulla enim re magis, quàm deserti officij memoria, crucior. nec tamen ab amicis plus, quam commodum eorum, aut etiam uoluntas ferat, umquam postulo. Itaque amicum nostrū cur excusares de infrequentia litterarum, caussæ nihil sunt. quiduis enim mihi potius persuaderi patiar, quam ei me absenti effluxisse ex animo, quē ego præsentem, quibus coluerim officijs, quæque ad eius laudem studia contulerim optimus ipse testis est. At scribit perquam raró. fortasse aulicæ uitæ consuetudo ita fert, fortasse etiam cum uelit, per negotia non licet aut si licet nostram amicitiam, quæ satis per se firma est, non modo litteris, sed nec ullo prorsus officio putat esse fulciendā, qua ego quoque in sententia sum. & tamen ita me comparaui iam pridem, si quid ab amicis præter meam expectationem omittitur, id ne accipiam

cipiam durius, & malim omnia mitiorem in partem interpretari, quam committeae, ut sanctißima necessitudinem iura suspicio, plerunq; falsa uiolare poßit. Atque hæc ipsa, nisi graue est, ad eum perscribas uelim: & hoc addas, me, cum primum Romam ueni, de meo statu litteras ad eum dedisse: quas à communibus amicis, fideli & certo tabellario commissas, perijsse non arbitror; ab eo tempore noui nihil in meis rebus contigisse, nisi hoc nouum uidetur, mihi cum hoc cælo, cuius multi grauitatem non ferunt, adhuc quidem optimè conuenire, quod ei fore iucundißimum certò scio. Tibi ad Carolum Sigonium, & Michaelem Sophianum, præstantes uiros, mihiq; & studijs, & amore coniunctißimos, cur litteris opus esse commendaticijs existimem? quasi non eorum uterq;, ut doctrina, sic etiam humanitate excellat. Et profecto iam tibi ad eorum amicitiam, qua uir bonus & studiosius nemo excluditur, aditum aperuit, nullo intercessore uirtus tua, illiq; te cognitum diligunt, tuaq; in primis consuetudine delectantur. qua ego interdum cogitatione ita fruor, ut hac etiam specie falli me non sinam, quasi ipse uestris deambulationibus, & sermonibus intersim. Ego hic, nisi me noctes aliquantum adiuuissent, caruissem prorsus litterulis nostris, quarum suauitate pascor. nunc, æquato noctibus diernm spatio, uereor, ne non otij quantum uellem relinquatur. Tu quam libenter Patauij sis, quamq; diu te futurum

K putes,

putes, quo utaris in philosophia doctore (nam Germanam, omnium facile principem, rariore iam dentium ordine minus explanatè loqui aiebant) hæc si ad me scripseris, & simul de singulis publicè interpretantibus quid sentias, duplicem fructum capiam, & quod ea, quæ scire aueo, cognoscam, & quod ex literis tuis, in quibus uernaculum illum Romani sermonis leporem, & planè Ciceronianam elegantiam mihi uideor agnoscere. Vale. Romæ. IIII. idus Martij M.D.LXII.

Iacobo Lucæ Decano Aurelienſi. S.

Longolius lib. 4.

NVnquam nobis sanè non deerit scribendi argumentum, nisi (ut te olim monui) mutuis id interrogationibus excitemus: quo nomine scripsi ad te haud ita pridem, mihi adeo gratum fore, si plenius ex te intelligerem, cur princeps noster Erasmum Budæo pretulerit, Germanum Gallo, exterum ciui, ignotum familiari. Nam quod ad eruditionem pertinet, non uideo qua in re Budæus Erasmo cedat: siue humaniores, siue Christiano dignas homine literas æstimare libeat. Quod uero ad dicendi facultatem pertinet, parem, mea sententia in tam diuerso dicendi genere laudem merentur. Beatissima in ambobus & rerum & uerborum copia: sed ita ut alter latius expatietur, alter angustiore quidem alueo, uerum altiore ingentem aquarum uim trahat: fluit ille plenior, hic

fertur

fertur rapidior. In Budæo uideor mihi agnoscere plus neruorũ, sanguinis, spiritus: in Erasmo plus carnis, cutis, coloris. in illo plus diligentiæ: in hoc plus facilitatis. creber ille sententijs, hic facetijs: ille omnia utilitati, hic plurimũ delectationi tribuit. Pugnat Budæus cura, ingenio, grauitate, dignitate: Erasmus arte, subtilitate, leuitate, iucunditate ad uictoriã contendit. Hunc amare poßis, illũ admirari: huic fauere, parere illi. Profecto ille me uehemẽter cogit, hic suauiter allicit. Ducit alter blanditijs, alter uiribus trahit, uerborũ delectu religiosus, proprietate perspicuus, si res tralationem expostulat, in metaphoris fœlix, sententijs grauis, figuris uarius, summa orationis specie honestus, sublimis, seuerus, grandiloquus. Contra Erasmus uenustus, modestus, popularis, floridus, uerborum suppellectile diues, compositione simul expeditus, simul nitidus, frequens exẽplis, densus augumẽtis, gratus salibus. Ille in oratione sua totus quidem semper est, sed tum potißimum tonat, tum fulminat, cum materia temporũ nostrorum obiurgationem admittit: Hic etiam quum morib. conuitium facit, magis instituto suo seruire atque dolere uidetur, malagmatis, collyrijs, cerotis, et cæteris id genus leniorum medicamentorũ remedijs sanitati consulens: ut ille amarulentis quidem illis, sed hac tempestate necessarijs potionibus, sectionibus, cauterijs altè grassantem uim morbi insectatur. Breuiter, si historiam scripturi sint.

ri sint, Budæus Thucididem, magis quam Sallustium: Erasmus Liuium, quam Herodotum retulerit: Si poema pangendum, hic tragicum & heroicum quiddam uerborum sententiarumq; pondere altius intonabit: ille Comœdiam urbanius, Lyricos suauius, elegiam mollius inspirabit. Assurgit tamen & hic quoq; alieno ingenio, suo uero tam difficulter, quã ille nunquã, etiamsi uelit, sese demittere queat: alioqui superiores illæ uirtutes ut neutri desint, sic in altero magis patent, in altero magis latent: effectu pares, habitu dissimiles, ut haud prorsus aberret quisquis hunc cocioni, illum iudicijs natum dixerit: alterum Palladis numine afflatum, alterum Gratiarum choro stipatum. Cæterum ut intelligas nihil esse, quod sit ab omni, ut ille ait, parte beatum aut certe quod omnium stomacho satis poßit facere; audi quid in eis desiderant, qui se aliquod operæprecium in re litteraria fecisse arbitrantur, Budæus hoc illis peccare uidetur, quod nihil peccet: Erasmus quod uitijs suis faueat. illum enim dum scrupulosius omnia ad ueterum normam exigit, sæpe oblitum eorum, quibus scribit, sibi tantum & Musis canere: hunc dum ingenio suo nimis indulget, nihilq; putat esse tam uulgare, quod non aliquando in oratione suum sibi locum honeste uindicet, turbidum interim fluere. illum potius nobis significare quid uelit, quam dicere: hunc immodica sermonis ubertate, ueluti læto gramine sato strangulare. illum oratione

nunc

nunc obliqua uerticosum, nunc figurata elatum sæpe intumescere, hunc recto nudoq; ductu humiliorem, plerunq; humi serpere: hunc lasciuia molliorem, illũ austeritate duriorem. Deniq; alterum doctis mirum in modum posse placere: alterum etiam imperitis, si in tam fecunda (ut illorum uerbis utar) facundia modum tenerent, & suo semper freti ingenio, alieno nõnunquam essent diserti, uel iudicio, uel consilio. Nam cum præstare poßint quicquid uolunt: Par est, inquiunt, ut optima queq; uelint, nec sese ambitiosius nobis uenditent. eò res nostras recidisse, ut maturè potius iuuandi, quam intempestiue delectandi simus; pro suscepto operis instituto fideliter docendi, non crebris licentiosißimisq; excursionibus ambagiose suspendẽdi: digredi quidẽ Senecam & Pliniũ, sed alterum parcè, alterũ rarò, nec sic quoq; quæsito, nec nisi oblato argumẽto. Hæc Critici, quorũ sententiæ quo minus statim subscribam, faciunt cum alia multa, tum quod non defuere clari oratores, qui non grammaticos, sed populum eloquentiæ iudicem statuerint. Esto sit porrigendus doctis modo calculus, sint soli litterarum principes de re in consilium mittendi, quisnam amabo hac ætate dignus, cui tam superba censura iure credatur? Tuebuntur se uterq; haud magnis solum exemplis, sed etiam ualidißimis argumentis. Dicent se non perperam scribere, sed illos corruptè iudicare: in orationibus suis non nasci, sed ab imperitis spinas afferri

Erasmus se omnium rationem habuisse, Budæus paucorum theatro contentum esse. Itaque ipse nihil decerno, uel, ne sutor (ut aiunt) supra crepidam: uel quod apud me paria faciant, hoc est, uirtutibus, si qua sunt uitia, pensent, atque adeo superent. Habent enim plus quod laudem, quam quod ignoscam. Illud tantum miror, quod ab initio dicebam: Cur princeps uester in tanta Budæi probitate, doctrina, eloquentia, Germanum Gallo, exterum ciui, ignotum familiari prætulerit. Nec hoc dico, quod erasmi fortunæ inuideam. Studeo namque homini, si quis mortalium alius, tametsi de facie nunquã mihi uiso, idq; ob communem patriam (sumus enim eiusdem, ut nosti, & linguæ & ditionis) colo autem ob eximias illas animi dotes, quas in eo ita suspicio, ut uotorum meorum summa sit, hinc ad annum etiam alterum supra uicesimum, quo me ætate superat, si non illum, quem nunc tenet, saltem proximum eloquentiæ gradum attingere. Improbum inquis, uotum: improbum sane, sed quod nec ipse plane improbet. Ego nec existimationi, nec commodis tanti uiri inuideo, cuius eloquentia apud me pluris est, qeam totius Galliæ opes. Sed in hoc ista scribo, ut si quid habes, ac tutum me certiorem facias, cur semper neglectis Gallorum, nunc primum fastiditis Italorum ingenijs, Germanica tam ambiciose affectemini. Vale, ex urbe Roma IIII. Cal. Febr.

Hoc

Hoc selectiorum epistolarum opusculum, ad puerorum institutionem ualde idoneum & accommodum est: & vt imprimatur vtilissimum.

Henricus Zibertus à Dunghen Can. Antuver. S. T. D.

BREVISSIMA AD EPISTOLAS LATINAE CONSCRIBENDAS ISAGOGE.

PER

Simonem Verrepæum.

SIMON VERREPAEVS Magnæ spei puero IOANNI Loëuio Buscoducensi, S. D.



VIDEO *quid agas, Loëui suauissime, Trochum libenter agitas, lusitas nucibus, equitas in arundine longa: & totus adhuc addictus es crepundijs tuis & oblectamentis puerilibus:* Et *tamẽ in hac ætate adhuc tenella, de felici studiorũ tuorũ successu magnum quiddam iam nunc incipio augurari.* Habes

 in pa-

in parentibus tuis præclarum & illustre quod imiteris, propositum exemplar: Pater enim & auus paternus ambo eruditione non uulgari præstantes uiri, ambo præclara Senatorij ordinis Siluæducensis ornamenta, quique ad hæc studia tua rectè excolenda, nullis omnino parcunt sumptibus: In te uerò eam perspicio naturæ indolem, cum ingenij uigorem, atque in perdiscendis Romanæ linguæ rudimentis animi alacritatem, ut hanc capere de studijs tuis coniecturam nihil omnino dubitem. Quamobrem ut quò cœpisti, alacrius pargas, ac celerius faciliusq; peruenias, mitto tibi munusculum puerile, quo uelut lacteo cibi cum nucibus tuis licebit uti, donec nonnihil adoleueris, & ad solidiorem cibum paulo magis te confirmaris. Vale, mi dulcißime LOEVI, diu ac felicißimè. Antuerpiæ, anno salutis Christianæ. M. D. LXXIIII. 17. Kalen. Apriles.

BREVIS

BREVIS ET APERTA AD EPISTOLAS LATINE CONscribendas Isagoge, siue Introductio.

QVID EST EPISTOLA?

EPISTOLA est absentis cum absente colloquium, vel, mutui sermonis nostri velut quidam internuncius.

Quales igitur esse debent Epistolæ?

Tales omnino, quales sunt mutuæ amicorum inter se confabulationes, simplices & familiares, festiuæ, dilucidæ, minimeque fucatæ, quæ suum tamen ornatum non penitus negligant.

In quibus Epistolarum ornatus potißimum spectatur?

Partim is in singulis spectatur verbis, partim in coniunctis, siue sententiis.

Cuiusmodi igitur verbis utendum in Epistolis?

Latinis, Propriis, Vsitatis, & quorum compositio æquabilis sit gratiosa ac facilis, nec ab vsu loquendi remota.

Fugienda vero sunt verba dura, ambigua, obscura, obsoleta, nimium affectata.

Quales esse debent sententiæ?

Elegantes, apertæ, faciles, quæque sermone constent quotidiano, vt sensus ad manum parati sint: Ad hæc non omnino triuiales: sed

vel propriæ, vel eleganti Tropo aut Schemate variatæ.

Quæ sunt Epistolarum partes?

Epistolarum partes generales sunt, vt vocibus hic vtar vulgò tritis, Salutatio, Vale dictio, & Superscriptio: quæ omnibus ex æquo epistolis adhibentur.

Aliæ veró sunt partes speciales, Exórdium, Narratio, Petitio, & Conclusio, quæ, quod non omnibus Epistolis sint necessariæ, discantur posteà ex Præceptionibus Rhetoricorum.

DE SALVTATIONE.

Quid est Salutatio?

SALVTATIO, est qua initio Epistolæ absenti salutem nuntiamus. Id quod variis consuetum iam est fieri modis.

Quæ sunt aptissimæ igitur salutandi formæ?

Quæ ad ueterum salutandi consuetudinem quam proximè accommodantur: Sic enim fere salutat Cicero: Cicero Pisoni S.

Cicero Dolobellæ. S. D.

Et Adiuncto Prænomine.

Cicero Gn. Pompeio S. P. D.

M. T. Cicero T. Pomponio Attico S. P. D.

Apponitur interdum pronomen, *Suis.*

Cicero Tironi suo S.

Cicero Terentiæ suæ; Tulliæ suæ, S.

Aliquan-

Aliquando Adiectiuum.

Cicero Tironi ſuo dulciſs. S.

Cicero Tironi ſuo humaniſs. & optimo, S.

Vel Dignitatis titulus.

Cicero C. Cæſari I M P. S. D.

Cicero procos. M. Marcello Cos S. D.

Sic ad Veterum conſuetudinem noſtras licebit accommodare.

Viues Linacro. S.

Viues Guil. Budæo, S. D.

Viues Craneueldio ſuo, S. D. P.

Bembus Sadoleto amico non vulgari S. D.

Manutius Paulo Iouio amico integerrimo, S. D.

Ioach. Perionius Carolo Lotharingo Cardinali, S. D.

Ant. Houæus Abbas, Viglio Zuichemo auratæ militiæ Cancellario, S. D. P.

Quæ ſunt nouæ ſalutandi rationes?

Noui ſunt illi ſalutandi modi, quibus Recentiores plerique nunc oblectantur.

Salue mi N.

Salue multum.

Salue plurimùm.

Salue ter quaterque.

Salue etiam atque etiam.

Salue pater obſeruande.

Salue amice integerrime.

Salue congerro lepidiſsime.

Salue plurimùm in Chriſto Ieſu.

Salue plurimùm colende D. Patrue.

S. P. amicorum optime & integerrime.

Salue vnicum meum in Christo decus & præsidium.

Veterum tamen simplicitas nostra hac nouitate nequaquam potest corrigi.

Sed de Salutatione nunc satis. Prosequamur reliqua.

Nunc age, ostende, quibus uerbis rectè oxordiemur Epistolam?

Veterum plerique sic olim Epistolam exordiebantur.

Si vales: valeo.

Si vales, bene est: valeo.

Si vales, bene est: ego quidem valeo.

Si vales, bene est: ego valeo, & quidem bellißimè.

Si vales, gaudeo: equidem valeo Et Cicero ac Tulliola bellißime valent.

Has ueterum formas Christiani interdum non in eptè sunt imitati.

Si vales, bene est: Fgo perbelle valeo, & indies bellius.

Si vales, bene est: Ego quidem valeo, sicut soleo, paulò etiam deterius.

Si vales, bene est: Ego per Dei gratiam sic valeo ac viuo, vt nunquam in vita suauius.

Si rectè vales, carißs. Pater, vnà cum suauißsima matre, bene est, Nos hîc, Dei gratia, perbellè valemus.

Si

Si rectè vales, vnicè mihi dilectè, pariter obseruande auuncule, est quod plurimum gaudeam, equidem hîc, Dei beneficio, valeo rectissimè.

Si tu, tuaque coniunx, socer humanissimus reliquaque familia valetis, est cur maximopere gaudeamus: Nos hîc Dei munere valemus ex sententia.

OBSERVANDA est hæc varietas, Dei gratia, Dei dono, Dei munere, Dei beneficio, Dei benignitate, &, que Dei benignitas est.

Sed de Exordilis hæc, vt opinor, suffecerint: Nam qui cuiusuis fere generis Epistolarum apta & accommoda requirit exordia, is operis nostri maioris de Conscribendis Epistolis librum tertium perlegat.

Tu nunc perquire, que sunt reliqua.

Nunc igitur ostendas rogo, dum ad multa alicui respondemus, qui fiat aptè ex uno argumento in aliud transitus?

Vni epistolæ tuæ respondi: venio ad alteram.

Hactenus ad litteras tuas superiores: nunc ad posteriores accipe.

Longiori tuæ epistolæ respondi. Venio nunc ad breuiorem.

Hactenus ad tuas litteras: Nunc de me paucis accipe.

Re-

Rescripsi ferè ad omnia: Nunc nostra uicissim accipe.

Habes fere de rebus omnibus: Extremum est illud, vt te rogem, &c.

Sed hæc hactenus: Addam etiam illud, &c.

Sed tristia mittamus, redeamus illuc vnde diuertimus.

Sed plura de his quàm statueram: Nunc ad propositum reuertamur.

Qui excusabimus litterarum nostrarum breuitatem?

Plura otiosus, hæc inter medios scholæ strepitus exaraui.

Scribam ad te pluribus alias, cùm plus otij nactus ero.

Cùm plus otij nactus ero, vberiores à me litteras expectato.

Hæc scripsi festinans, properante ad uos tabellario.

Habes epistolam plenam festinationis & pulueris.

Breuitas tuarum litterarum, me quoque breuiorem in scribendo facit.

Scribentem me hæc, nunc cœna, nunc alia multa interpellant.

Qui nunc contra purgabimus earum prolixitatem?

Sed iam vltra metas epistolam porrigo, dum, tui amore, mei oblitus longius rapior: Vale igitur.

Sed

Sed prouehor longius quàm volebam, & charta me deserit, vt vides, tecum suauissime colloquentem. Fac, igitur vt valeas.

Sed iam modum epistolæ diu multumque excessi, beneuolentia magis adductus, quam quod res ipsa postularet. Veli mihi ignoscas, quod tanta harum prolixitate te pene obtundam, otiabar iam enim & tuas uolebam elicere.

Hæc amore magis impulsus scribenda ad te putaui, quam quod arbitrarer te moniris & præceptis meis egere.

Quo pacto epistolam longiorem recte abrumpemus?

Sed iam plura quàm constitueram. Valebis igitur.

Sed hac super re nimis multa, præsertim ad te.

Sed hæc pluribus fortasse verbis, quàm sit necesse.

Sed quid ago? longius progredior, quàm volebam.

Sed de his satis, metuoq; ne tu nimium putes.

Sed hæc satis multa, vel plura potius quam necesse fuit.

Sed ne longior, vale, ô & præsidium, & dulce decus meum.

Sed quid ago? epistolam institueram scribere: ea autem crescit in volumen.

Qui tandem Epistolam concludemus?

Habes quæ scire cupiebas. Vale.

Habes fere de rebus omnibus. Vale.

Habes vt breuissime potui totum familiæ nostræ statum.

Hæc

Hæc habebam quæ his de rebus ad te scriberē.
Hæc fere ad eas litteras, quas accepi abs te
proximè.
Finem scribendi faciam, si te primum mo-
nuero, vt &c.
Reliquum est, vt à te petam mi Ghisli, vt me
de rebus Germaniæ quàm sepissimo facias
certiorem.

Ostem de quibus formulis amicos in fine Epistolæ rectè salutemus.

Amicos omnes ex me saluta.
Salutabis parentes meo nomine.
Patrem tuum salutes velim officiosè.
Cariss. matrem tuam salutabis à me diligeter.
Sodalitatem totã saluta meis verbis accurate.
Saluta omnes qui de me istic percunctabũtur.
Fratribus tuis ex me multum salutem dicito.
Saluebit à me noster Lepidus officiosè & ac-
curatè.
Mihi apud amicos omnes vicarius esto salu-
tatur.
Amicum nostrum D. Petrum à Valle iube à
me saluere plurimum.
D. Henrico Verrepæo precaberis à me læta
omnia & felicia.
Salutem à me fratri tuo, & si quem alium
fortasse nostri amantem videris.
Eximium virum M. Io. Hubertinum ex me
me etiam atque etiam saluere iube.
Ad M. Theodoricum, si quid dederis litte-
rarum,

rarum, illi ex me ſalutem adſcribes plurimam.

Campagrium noſtrum eximia ſpe ſummæ virtutis adoleſcentem ſalutato meis verbis diligentiſsime.

Saluebit à me Loeuius noſter diligenter, Item Ghilſius, Ottonius, ac reliqui, quos iſtic me noſſe putes.

Apud amicos omnes, tu fac nomenclatorem agas, ac ſingulis nominatim multam ex me ſalutem dicito.

Onerabo te non magna ſarcina, vt Hyluarenbecam proficiſcens ſalutem meo nomine perferas ad amicum noſtrum M. IAC. Schilderum.

Iam nomine alterius qui ſalutem adſcribemus.

N. N.
- Officioſè te iubet ſalutari.
- Iubet te ſaluere plurimùm.
- Iuſsit me tibi ſalutem ſcribere.
- Plurimam tibi impertit ſalutem.
- Impertiri te iuſsit plurima ſalute.
- Nihil nō optat tibi fauſtū ac lætum.
- Pręcatur tibi omnia quę ſibimetipſi.

N. N.
- Præcatur tibi ac tuis omnia feliciſsima.
- Precatur tibi omnia euenire proſperrimè.
- Annuntiat tibi ſalutē verā ac ſolidá.

SALVEBIS à Typotio nostro, adolescente mihi summè dilecto & tui prorsus obseruentissimo.

Iam epistolam complicaueram, cùm adiret me tuus *von der Noot*, qui te plurimum iussit saluere suis verbis.

Cùm has ad te litteras exararem, aderant forte mihi PHILIPPVS de Bie & IO. Loeuius, rogabantque vt suo nomine salutem titibi ac familiæ tuæ impertirem.

Nunc uelim edoceas qui excusabitur Epistola *subito & neglectius conscripta.*

Plura otiosus, hæc subito & variè distractus.

Character epistolæ neglectior testis est summæ nostræ festinationis.

Hæc exaraui multis distractus negotiis, animoque curis valdè impedito.

Hæc occupatissimus ad te scripsi, & rus iam iam profecturus ac viam iniens.

Hæc scripsi ex tempore plus quam occupatissimus, scripturus alias accuratius.

Ex tempore scripsi hæc & in cogitantius, alioqui nec meditatus satis probatus scribendi artifex.

Hæc scripsi raptim & plusquam ex tempore, forte oblato tabellione, scribam alias accuratius.

Hęc scripsi prępropere & perturbatè, quod ex litteris ipsis & sensis facile coniicies: quæso festinationi meę, & breuitati litterarũ, des veniam. Vale.

DE

DE VALEDICTIONE.

Quid est Valedictio?

VALEDICTIO est epistolæ terminus: Quemadmodum enim à Salutatione Epistolam exordimur, ita hoc verbo, *Vale.* claudimus.

Profer nunc aptas aliquod Valedictionum formas, ut prius Salutationum ostendisti.

Vale.
Valebis.
Bene vale.
Vale & salue.
Vale feliciter.
Vale rectißimè.
Fac vt valeas.
Cura vt valeas.
Da operam vt valeas.
Vale mi N. & salue.
Vale vir integerrime.
Vale etiam atque etiam.
Vale iterum atque iterum.
Vale cum tuis omnibus.
Opto te diu bene valere.
Da operam vt bene valeas.
Cura, si me diligis, vt valeas.
Cura, vt quam rectißimè valeas.
Cura te etiam atque etiam, & vale.
Cura vt valeas, & me, vt amas, ama.
Vale feliciter mi N. in Christo IESV.
Vale pancraticè, aut si mauis athleticè.

Vale mi carissime & suauissime Ghilsi.
Ne longior sim vale, & nos, vt facis, ama.
Bene valere te cum omnibus tuis precor.
Vale felix ac faustus vir omniũ humanissime.
Vale etiã atq; etiam & salue plurimum mi N.
Incolumẽ te nobis diu seruet Deus. Opt Max.
Bene vale mi Flaminii amice plus quã Pilade.
Bene vale. Nos vt quimus, aiunt, quando, vt volumus, non licet.
Bene vale D. Loeui, nostri memor, præsertim in precibus tuis.
Te cum vniuerso Collegio tuo quam rectissimè valere cupio.
Bene valeat R. T. C. cui me modis omnibus, & ex animo commendo.
Vale vir optime & integerrime, cui me totum, vt debeo, ita dedo, dicoque.
Vale mi dulcissime & desideratissime Campagri, iterumq; & sæpius vale atque salue. Ex Hiluarico torrente patria tua.

Licet ne uerbo uale, adijcere quippiam?

Planè licet, præsertim si quid occurrerit, quod eius, ad quem scribimus, animo, velimus fixius inhærere.
Vale & stude.
Vale & rescribe.
Vale & Deum time.
Vale & me, vt soles, ama.
Vale & me tui amantem redama.
Vale & me, quod facis, amare perge.

Vale & nos, quod mutuum facies, dilige.
Vale & me ſolito tuo amore fac proſequare.
Vale & ſi me amas, labores ama & ſtudia.
Vale & huc ad nos quam primum aduola.
Vale & litterarum ſtudijs incumbe diligenter.
Vale & quæ voles omnia tibi de me pollicere.
Vale & nos ſæpe tuis litteris, ſi eſt otiū, ſaluta.
Vale & boni conſule has litteras pluſquam ex temporarias.
Vale & tumultuariam hanc noſtram reſponſionem fac boni conſulas.
Vale & inconcinnam hanc rapſodiam noſtrâ æqui boni uelim conſulas.
Vale & ora Deum vt incolumis intra paucos menſes vobis ſemel reſtituar.
Vale & cōmenda me precibus Domino, mutuum orationis beneficium impenſurus.

Quid? licebitne post Vale *adijcere, ſi quid prius forſan per obliuionem nobis exciderit?*

Si poſt VALE neglectum aliquid ſuccurrerit: aut ſi quid ſit, quod animo eius, ad quem ſcribimus, velimus tenacius inhærere, honeſtè illud hoc modo addi poterit.
Vale, Sed prius quàm obſignem epiſtolam, hoc addam.
Vale, Sed percommodè hoc nunc in mentem mihi venit.
Vale, Sed mane pauliſper, Nam eſt aliud quod adijciam.

Vale, Sed quam pæne me fugerat, quod te maximè omnium ſcire volebam.

Vale, Sed heus tu, propemodum prætericram, quod in primis dictum oportuit.

Vale, Sed ó me obliuioſum, pæne exciderat, quod non oportuit prætermiſſum.

Vale, Sed heus tu, omiſeram vnum, quod tu non minus libenter leges quam cætera.

Vale, Sed obſignaturo epiſtolam illud percommodè venit in mentem, quod omiſſum dolerem.

Vale, Iam parabam obſignare littaras, cùm alteras tuas ad me reddit veredarius, eadem igitur nunc opera, binis tuis reſpondeo.

Quid post VALE reliquum?

Locus & tempus adſcribentur.

Locus quidem, ſi ſit proprium oppidi nomen, hoc modo : Lutetiæ, Louanij, Neapoli, Et interdum per Ablatiuum. (Athenis, Roma, Patauio, Neapoli, Tybure.

Sic Cicero. Brunduſio, Alizia, Leucade.

Si verò proprium loci nomen ſit vel acliton, vel Appellatiuum, præponetur ei præpoſitio. Acliton, vt Ex Dommelé, Ex Hiluarenbeeck. Appell. vt ex ædibus D. Deca E noſtro muſeo.

TEMPVS *verò ſiue annus hoc modo ſcribi poterit.*

Domini

ANNO

Domini Millesimo Quingentesimo, Septuagesimo primo.

A Christo nato / A Christi natali / A Christi natiuit. — M.D.LXXIIII.

Salutis humanæ / Partæ salutis / Assertæ salutis. — M.CCCCC. LXXIIII.

A partu virginis / Salutiferi partus — M.D.LXXIIII.

Ab orbe redepto / Redemptionis humanæ. — 1571.

Dies uerò mensis qui adscribitur?

Kalēdis, Nonis, Idibus Ianuariis vel Ianuarij.
Tertio Kalēdas Nonas, Idus, Ianuarias vel rij.
Ad tertiū Kalēdas Nonas Id⁹ Ianuarias vel rij
Vel more Recentiorum.
Primo die mensis Ianuarij.
Decimo die Maij.
Vltimo decembris.

Licétne Christianorum ferijs indicare diem?

Licet, hoc modo.
Natali Christi Seruatoris.
Die festo Paschæ, vel Pentecostes.
Feriis assumptæ B. Virginis matris.
Pridie Omnium Sanctorum.
Postridie Conuersionis B. Pauli.

Dedi- -ib

Dedicationis templi ferijs.
Hylaribus nostris. Ipsis Regalibus.

Licet & horam interdum adscribere.

Prima luce, Summo mane, Diluculò.
Crepusculo matutino vel vespertino.
Sub cænam, Inter cænam, Mox à cæna.
Alta vel multa nocte, Ad multam noctem.
Nocte intempesta.

A dijcictúrne in fine scriptoris nomen?

Sic sanè, si initio episto. non expresseris. aliàs minimè.

Paulus Manutius.
Tuus ex animo Manutius.
Tuus toto animo Manutius.
Petrus Bembus ex animo tuus.
Tuus totus Iacobus Sadoletus.
Tuus tuo merito totus Christ. Longolius.
Tui, vt scis, amantissimus Ant. Flaminius.
Tui obseruantissimus Ioach. Perionius.
Tui ex animo studiosus Carolus Sigonius.
Tibi addictiss. vel deditiss. Pet. Victorius.
Tuus, si cuiusquam mortalium, Franciscus Robortellus.

Ad Nobiles uerò uel dignitate illustres, hoc modo plerique nunc scribunt.

Tuæ Celsitudini Tuę Amplitudini Tuæ Clementiæ	Deditiss. addictiss. Cliens, clientulus.

Item sic: Reuerentiæ tuæ. Præstantiæ tuæ. Dignitati tuæ, &c.

Inter-

Interdum hæc scribunt singulis litteris.

R. T.	hoc est,	Reueretitiæ tuæ.
C. T.		Celsitudini tuæ.
D. T.		Dignitati tuæ.

Vel ternis litteris.

R. T. C.	id est, Reuerendæ tuæ.	Celsitudini.
R. T. A.		Amplitudini.
R. T. D.		Dignitati.

DE SVPERSCRIPTIONE.

Quid est Superscriptio?

Superscriptio est quæ in summo Epistolæ iam obsignatæ ponitur, constatq; nomine & cognomine eius cui scribitur. Ad hæc congruenti eius epitheto, non otioso, non absurdo vel mendaci, quodq; oneret personam, non honoret. Tum etiam constat loco, in quo agit is, cui inscribitur.

Profer, si placet, Inscriptiones aliquot, ad quas rectè nostras licebit accommodare.

Ad Patrem, Patruum, Auunculum, vel Præceptorem.

Optimo & integerrimo ciui Antuerpiensi N. N. parenti suo pientiss. & plurimum obseruando. ad signum Aquilæ.

Antuerpiæ.

Circumspecto prudentique viro N. N. patruo, vel auunculo suo singulariter obseruando.

Amsterodami.

Eruditione, virtute & moribus excellenti viro M. N. N. moderatori scholæ in VVesterlo, Præceptori suo carissimo & vnicè colendo.
In VVesterlo.

Ad fratrem Cognatum uel Sodalem.

Ingenuo & probo adolescenti N. N. fratri suo longè carissimo, bonarum litterarum studioso. Louanij.

Liberali indole & eximia spe adolescenti N. N. cognato suo liberaliũ artium cum primis studioso. Siluæ ducis.

Præcellentis ingenij & optimæ spei puero N. N. ingenuarum artium studiosissimo.
Hiluarenbecæ.

Præclaræ indolis & magnæ spei adolescenti N. N. sodali suo iucundissimo & vnicè caro. H. B.

Generoso summaque eruditione & probitate adolescenti N. N. amico suo verè Pyladeo. H. B.

Ad Ciuem, Mercatorem uel Opificem.

Spectato & industrio viro N. N. amico suo integerrimo ad signum Struthionis Bibliopolæ. ANTVERPIAE.

Eximio & circumspecto viro N. N. cognato suo & amico percaro, Apud Antuerpienses oenopolæ. Antuerpiæ.

Egregio & spectato viro, N. N. ad signum inaurati gladij cultrario. Busciducis.

Ad

Ad Secretarium, Aduocatum uel Consulem.

Præstanti, ornatoque viro M. N. N. Ciuitati Bredanæ à Secretis, amico suo haud vulgari.

Bredæ.

Eruditione, prudentia, & integritate præstanti viro N. N in curia Brabantiæ aduocato, amico suo præcipuè obseruando.

Bruxellæ.

Clariss. & integerrimo viro D. N. N. equiti inaurato & ciuitatis Louaniensis Consuli meritiss. patrono suo ac Domino plurimùm venerando.

Louanij.

Ad uirum Consularem, summæ auctoritatis, uel dignitatis.

Virtute & singulari vitæ integritate præstantiss. viro N. N. amico suo maiorem in modum obseruando.

Mechliuiæ.

Prudentia & multo rerum vsu excellentiss. viro N. N. vrbis Gandauensis ciui celeberrimo, mecœnati suo vnicè colendo & obseruando.

Gandaui.

Clariss. ornatissimoque viro ac Domino, D. N. N. arcani consilij Regis Hispaniarum digniss. Præsidi, amico & Domino suo singugulariter ac perpetuò obseruandò.

Ad

Ad Monachum, Priorem uel Abbatem.

Moribus ac vitæ probitate venerando Domino, F. N. N. Franciscini ordinis apud Louanienses Monacho: sibi summè dilector. Louanij.

Probitate vitæ ac rara eruditione excellenti viro ac Domino, D. N. N. Dominicæ professionis apud Colonienses vigilantiss. Priori. COLONIE.

Reuerendo in Christo Patri ac Domino, D. N. N. celeberrimi Monasterij, S. Gertrudis apud Louanienses Antistiti dignissimo, patruo suo ac Domino plurimùm colendo. Louanij.

Ad Sacerdotem, Canonicum, uel Decanum.

Optimo viro, ac Christi venerando Sacerdoti, D. N. N. Sacratarum virginum Vallis S. Agnetis apud Dommelanos dignissimo Præfecto, amico suo integerrimo. In Dommelen.

Vitæ morumque integritate præstanti viro. D. N. N. Cathedralis Ecclesiæ Busciducensis Canonico, amico suo ac Domino in primis obseruando. Busciducis.

Præstanti & eruditione & vitæ integritate viro, M. N. N. Metropolitanæ Ecclesię Mechliniensis Decano amico suo & Domino summe colendo & obseruando. Mechliniæ.

Ad Pastorem, S. Theol. Doctorem, uel Episcopum.

Erudi-

Eruditione, prudentia, & rerum vsu ornatiss. viro S. Theolog. Licentiato, M. N. N. Hyluarenbecensis Ecclesiæ primario Pastori, Domino suo vnicè venerãdo. Hyluarenbecæ.

Insigni doctrina, pietate, & integritate clariss. viro M. N. N. S. Litterarum professori Regio, Domino suo, ac Pręceptori summè colendo. Louanij.

Reuerendissimo in Christo Patri ac Domino, D. N. N. primo ac dignissimo Antuerpiensis Ecclesiæ Episcopo, Domino suo plurimum colendo & obseruando.

Antuerpiæ.

Ad uiros Nobiles.

Illustri & generoso viro D. N. N. Domino in Hyluarenbeeck in Orschot, &c. Patrono suo ac Domino in primis obseruando.

In Orschot.

Ornato & splendido viro, &c.

Claris orto natalibus viro ac Domino, &c.

Ampliss. grauissimoque viro ac Domino, &c.

Nobilitate & virtute præstanti viro, &c.

Clariss. pariter ac humanissimo viro, &c.

Auctoritate clariss. & spectatissimo viro, &c.

Priscæ ac veræ nobilitatis, insignisque eruditionis viro, &c.

Clariss.

Clariſs. viro, & omni virtute, doctrina, eloquentiaque ornatiſs. D. N. N.

Sed tui amore longius iam rapior, quàm inſtitueram: vereorque ne Iſagogen pollicitus, eam ipſam in librum producam: Quamobremque quæ reliqua ſunt, petantur ex libris illis quatuor de Conſcribendis Epiſtolis, qui, ſi per valetudinem licebit, & doctorũ iudiciis probari intellexero, propediem fortaſsis in lucem emittentur. Interim his rectè, vt vtaris precor, ad Dei omnipotentis honorem & gloriam, & perpetuam animæ tuæ ſalutem. Nunc igitur Vale, & nobis pro labore noſtro bene ſubinde preceris oro. 1574. menſe April.

Regi ſæculorum immortali & inuiſibili, ſoli DEO honor & gloria in ſecula ſæculorum, Amen.

FINIS.

Hæ Ioannis Lodouici Viuis Epistolæ doctæ sunt & vtiles, & meo iudicio dignæ vt imprimantur.

Attestor D. HENRICVS Dunghen, S.T.D. & Cathed. Eccles. Antuer. CANONICVS, Pœnitentiarius.

DILINGÆ, EXCVDEBAT Sebaldus Mayer.

